

Dei. Superferri dictus est non loco sed potentia superante et præcellente universa. Non enim per indigentiam, sed per charitatem super eminentem creavit Deus omnia, qui sicut voluit, sic creavit et creata gubernare non desinit. *Spiritus Domini.* Vide quia non dixit cælum Dei, terram Dei, abyssum vel aquas Dei; sed dixit *Spiritus Dei superferebatur.* Noli ergo sentire Spiritum Dei creaturam esse, sed

A Spiritum Dei Deum intellige. In exordio itaque creationis cæli et terræ, quibus duobus colligitur universitas creaturæ visibilis et corporeæ creatoris Trinitatis cooperata monstratur, adoranda proponitur, cum dicitur: *In principio creavit Deus.* In Dei nomine Patrem, et in principii nomine Filium, Spiritum vero. . . *Reliqua desiderantur.*

HUGONIS

ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI

CONTRA HÆRETICOS SUI TEMPORIS

SIVE

DE ECCLESIA ET EJUS MINISTRIS

LIBRI TRES

(Opp. Guiberti Novigentini, Append., p. 690.)

HUGONIS EPISTOLA AD ALBERICUM

OSTIENSEM EPISCOPUM.

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filio ALBERICO Ostiensi episcopo, quamsæpe sedis apostolicæ legato, peccator Hugo Rothomagensis utcunque sacerdos.

Reverende Pater, tuis obedire mandatis pro tempore distuli, non tamen illud omisi, sed præstare tibi veniam, cui soles præstare gratiam. Digna sedet mihi memoria reminisci, qualiter in finibus Galliarum prope mare Britannicum, civitate Nannetensi meruimus assistere tibi. Ibi sanctorum corpora martyrum Donatiani et Rogatiani fratrum, multo cœtu præsentem fidelium, suscepta præsentasti, præsentata relocasti cum digno honore et gratiarum

B actione. Ibi tecum aspeximus cometem præcipiti lapsu in occiduo ruentem, ruinam hæresis, quæ in Armorico tunc scatebat, te protestante signantem. Ibi quidem coram orthodoxa prædicatione tua plebs hæretica stare non poterat. Eorum hæresiarches pertimuit, nec apparere præsumpsit. Proinde placuit tibi super hæresibus insurgentibus nos aliqua scribere, quod et suscepimus tuæ jussionis auctoritate; sed succincto opere, sed brevi caractere. Trahatuv itaque ex arcto commate clausa latissima, sumantur ex vase modico fercula copiosa, more catholico in Spiritu sancto.

HUGONIS PRÆFATIO.

Mandat Dominus, obediat servus, Patres præcipiunt, fratres expetunt, filii requirunt, charitatis imperio simul et singulariter injungunt, ut contra hæreticos emergentes novos, contra eorum hæreses

D non novas sed veteres tandem aliquando consurgamus, sinceram catholicæ fidei puritatem, et eis opponamus, et contra eos, assistente Domino, defendamus. Loquatur igitur per nos et pro nobis omni-

potans Pater cœterni Verbi; loquatur Verbum quod semper et pariter omnia dicit; loquatur Spiritus Patris et Verbi unus et cœqualis, qui con-

tinens omnia, scientiam habet vocis. Veritatis sermo proponitur, audiamus; Deus in causa est, assistamus.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Sol oriens, effuso lumine, toto orbe noctium tenebras expellit. Sole clarior sana doctrina passim exposita hæresim destruit. Sana doctrina profitetur et prædicat, quia Creator omnium Deus omnipotens et solus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, Trinitas inconfusa, Deitas indivisa. Veritas hæc sublimis, et præcelsa transgreditur universa. Non eam temporalis intelligentia, non ratio capit humana; excedit omnem tam angelicæ quam et humanæ mentis altitudinem: hoc Psalmista testatur, dicens: *Accedet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (Psal. lxxiii, 7); et alibi: *Ascendit, inquit, super Cherubim et volavit, volavit super pennas ventorum* (Psal. xvii, 11), id est, super excellentiam alta quærentium. Invisibilis est Deus soli sibi cognitus: nescit eum penitus ulla creatura, nisi ea, quam sapientia Dei Patris, ut scire valeat gratanter illustrat. Audi Evangelistam: *Deum, ait, nemo vidit unquam* (Joan. i, 18). Dicimus ergo, Joannes unde scire potuit quod evangelizavit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (Joan. i, 1), si nemo unquam vidit Deum? Inde mox respondit, et ait: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Ipso igitur enarrante potuit dicere Deum apud Deum, apud Patrem Filium, qui dedit potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus* (Joan. i, 12). Veritas quoque dicit: *Nemo novit Filium, nisi Pater; et nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluit Filius revelare* (Matth. xi, 27). Revelavit ei qui dixit: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (Psal. lxxxiv, 9): et Apostolo dicenti: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (II Cor. xiii, 3.) Revelatum est et Moysi in monte Sinai, de creatione mundi sub æterni trigona forma senarii, de requie Domini omnibus completis in die septima, sine mane, et absque vespera; de lege, et mandatis, de tabernaculo fœderis, de ritu sacrorum, et cæremoni, si quorum omnium exemplar in monte perspexit. Revelata sunt etiam patribus et prophetis quam multa de consilio, de misericordia, de judicio Dei; sed ista prosequi non est de instanti: revelat et seipsum nobis Filius, qui ait: *Exivi a Patre, et veni in mundam, iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* (Joan. xvi, 28). Judæis quoque dixit: *Est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est* (Joan. viii, 58). Ad hoc consequenter alias intulit: *Creditis in Deum, et in me*

credite (Joan. xiv, 1). Hoc si quidem non sequeretur, nisi Christus esset Deus.

Adora igitur Patrem, adora Filium, adora pariter utrumque Deum unum. Alius quidem est Pater, alius Filius, non alius Deus Pater, alius Deus Filius. Diversæ sunt personæ Pater et Filius, non autem duo sunt dii sed unus. Audi, inquit, *Israel Deus tuus, Deus unus est* (Deut. vi, 4). Huic Veritas attestatur: *Ego, inquit, et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Sumus dicit, qui alia est persona Patris, alia Filii. Unum dicit, quia una et eadem est essentia Patris et Filii. Spiritus quoque sanctus ipse est Patris et Filii unus ex Patre et Filio, tertia persona, non tertius Deus. *Verbo, inquit, Domini cœli firmati sunt; et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (Psal. xxxiii, 6). Et: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt* (I Joan. v, 6, 7). *Sunt dixit, quia tres personæ, unum pro inseparabili divinitate. Spiritus iste sanctus, Spiritus est Patris in Evangelio: Non enim vos estis qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (Matth. x, 10). Et Joannes apostolus ait: *In Deo manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis; et nos vidimus et testificamur quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi* (I Joan. iv, 13). Spiritus iste sanctus sicut est Patris, ita est et Filii. Super hoc idem Filius ita dicit: *De meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis* (I Joan. xvi, 14).

Adora igitur Patrem, adora Filium, adora amborum Spiritum, non tres deos, sed simpliciter unum. Noverat hoc Propheta, qui dicebat: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, et metuang eum omnes fines terræ* (Psal. lxxvi, 3). Eum dixit non eos, ut unum teneat non tres deos.

CAPUT II.

Scire autem te convenit qui Deo et in Deum credis, quia Spiritus sanctus sicut a Patre procedit, et a Filio mittitur: *Ego, inquit, mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (Joan. xv, 26). Et alibi: *Quem mittet Pater in nomine meo* (Joan. xiv, 26). Missus iste et a Filio procedit, quem post resurrectionem suam discipulis insufflavit, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (Joan. xx, 22). Corporeus status ab eo processit, quo invisibilis signata est processio Spiritus sancti, quem ex se-

ipso dedit. De hoc ait Apostolus : *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (Rom. VIII, 5). Sanctus Spiritus a Patre quidem et a Filio procedit, non nascitur, ideoque non Filius sed procedens dicitur. Filius vero a Patre procedit et nascitur, ideoque Filius appellatur : *Ego, inquit, ex Deo processi, et veni* (Joan. VIII, 42). Processio nativitatis Filii ex Patre, et processio non nativitatis sancti Spiritus ex utroque fideliter creditur, perenniter adoratur : evangelica veritas ista perdocuit, apostolica doctrina manifeste predicavit. Contra hæreticos ista proponimus, et auctoritate divina firmamus, qui Deum non discutimus, sed Catholice credimus; non est enim discutienda divinitas, sed fidei simplicitate colenda. Sicut autem Deus Pater a nullo est, sic nec missus est, quia vero ex Patre est Filius, et ex utroque Spiritus sanctus bene uterque mitti posuit a quo existit.

CAPUT III.

Missus quidem a Deo Patre Deus Filius, cooperante Spiritu sancto, de Virgine natus, quod orat permansit, et quod non erat homo fieri voluit; perfectus Deus, perfectus homo, unus non duo. Unus cum Deo Patre in essentia, unus cum assumpto homine in persona. Factus de nostro genere sine criminis traduce. Ex hominibus homo, ex peccatoribus absque peccato. Filius David, Filius Abraham, et Filius Adam. Factus inde medicina, unde processerat culpa. Deus homo factus est, ut deos faciat homines; deos gratia non natura; deos adoptione, non essentia. Ipse pro peccatoribus absque peccato passus, mortuus et sepultus; ad inferna descendit; inde suos liberans die tertia surrexit; et discipulis suis manifestus apprensus, ipsosque benedicens, cælos ascendit : sedens ad dexteram Dei Patris Spiritum sanctum copiosius effundit, unde charitatis flamma consurgit, teste Apostolo, qui ait : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v, 5).

CAPUT IV.

Hoc dato suscepto una est Ecclesia uni viro desponsata. Quis ille sponsus? quæ illa sponsa? Doctor gentium fidelibus clamat : *Despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (II Cor. XI, 2). Celebratur desponsatio ista in præsentia per sacramenta, in futuro visione manifesta. Fide suscipitur, spe firmatur, charitate perficitur. Aqua primum et Spiritu gratanter abluitur, quo detersis criminibus a culpa solvitur, ut sacro renata baptismate, cælesti sponso sanctificata societetur. Renata itaque fonte perennis gratiæ, manus impositione paranymphe cum oratione, cælesti signatur chrismate; ut quam Christi baptismata a peccatis omnibus emundat, supereminens unctio chrismatis, rite per episcopum celebrata, eam virtutibus induat. Virtutes istæ sponsalia sunt præcellentissima ex septiformi sancti Spiritus gratia quæ sponsæ suæ cælestis Sponsus mirifice donat. Exinde præparatur

ei vitalis participatio alimenti, corpus et sanguis ejusdem sponsi sui Jesu Christi Filii Dei, quo suscepto et homo Deo, et Deus homini unitate fœderantur inenarrabili. *Qui manducat, inquit, meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo : caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus* (Joan. VI, 56, 57). Non hic de ligno vitæ, quod erat in paradiso terrestri, fructum suscipimus : sed ipsam vitam, quæ Christus est, de altari Dominico sumimus : *Ego, inquit, sum via, veritas et vita* (Joan. XIV, 6). Vita hæc mortem in nobis destruit, quæ de ligno scientiæ boni et mali prævaricatione traducta processit.

Attende qui legis, venerare sponsam Christi prius emundatam aqua baptismatis, renatam fonte salutari : deinde perornatam chrismate regali, manus impositione pontificis, renitentem gratia septiformi, postmodum ad mensam cælestis perductam convivii, ibi corpus et sanguinem Sponsi sui sub fœdere perennis vitæ percipit, et cum Joanne charitatis filio, supra pectus Domini beate quiescit. Vide ergo in baptismate fidem, in confirmatione sacro facta chrismate spem, in mensa Dominica charitatem; fide namque renovatur, spe sublimatur, charitate glorificatur.

CAPUT V.

Ut igitur perfectum teneas Christianum, primo eum ex aqua et Spiritu renatum, dehinc charismatum gratia, pontificis manu perornatum, mox ad mensæ Dominicæ sacrosanctum intromitte convivium. Tria ista sacramenta, baptismus scilicet novæ in Christo regenerationis, et confirmatio baptizati manu facta pontificis chrismate regali in gratia septiformi, et participatio mensæ cælestis corporis et sanguinis Jesu Christi, in vita perenni fide quidem incipiunt, spe certa crescunt, charitate persistunt. Tria ista civitatem Dei constituunt, de qua Psalmista canit, et exultans dicit : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei*, (Psal. LXXXII, 3). Civitatis hujus fundatorem profitetur idem quia homo est et Deus, dicens : *Et homo natus in ea, et ipse fundavit eam Altissimus* (Psal. LXXXII, 5) : Deus quidem. Altissimus ipse est, homo sub tempore in ea natus. De ejus vero beatitudine dicit in laude : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te* (Psal. LXXXII, 4). Hæc patrem habet Deum, amplexatur Dei Filium sponsum suum, collatur Spiritum sanctum suum esse paraclitum. Super hoc Psalmista dicit : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus : Deus in medio ejus non commovebitur. Adjuvavit eam Deus mane diluculo* (Psal. XLV, 6). In hac sola tam celebri, tam gloriosa remissio est peccatorum, efficaciam sacramentorum, gratia charismatum, communio sanctorum, resurrectio et vita beatorum. Hoc fidei symbolum ratum et sacratum sana doctrina predicat singulariter observandum, quo ignorantia tollitur, error aboletur, hæresis propulsatur.

CAPUT VI.

Prima quidem defluxio a luce veritatis mox ignorantiae tenebras incurrit; ignorantiae cæcitas errorem induxit, error inolitus hæresim procreavit. Hæresis autem error ille vocatur, qui pertinax esse probatur. Spiritus sanctus sanam doctrinam inspiravit, qua via, veritas et vita nobis innotuit. Spiritus nequitiae Satanas mendacium sparsit, quo errorem, et hæresim. et mortem mundo propinavit.

Satanas fons mendacii, origo peccati, a bono conditore bonus conditus, sed mox propria voluntate perversus invenit sibi apud se casum superbiæ, cupiditatem rapinæ, sordem idololatriæ, ubi ait; *Ponam sedem meam ad aquilonem, ero similis Altissimo (Isai. xiv, 14)*. Non erat ejus sedem sibi ponere, aquilonem occupare, similitudinem Altissimi affectare. *Ponam sedem meam, ecce superbia; ad aquilonem, ecce rapina; ero similis Altissimo, ecce idololatria*. Vide ruinam impii. Voluntatem suam quam Deo debuit, qui eum de nihilo fecit, non Deo, sed sibi propriam tenuit. A proprio isto mendacium genuit: de hoc veritas ait: *Cum loquitur mendacium, de propriis loquitur (Joan. viii, 44)*, mendax est enim et pater ejus, hoc est mendacii, pater iste mendax, pater mendacii, mendacio idolum formavit.

Ab exortu itaque malignitatis mendacii abyssus erupit: *Et tenebræ, inquit, erant super faciem abyssi (Gen. 1, 2)*. Satanas ille lucifer a Deo conditus, clarior et excelsus statim voluntate propria depravatus, præsumptione superbus, cupiditate cæcatus, de excelso factus est abyssus, de luminoso tenebrosus; tenebræ ejus præsumptionum procellas emittunt, cupiditatum laqueos innectunt, libidinum turpitudines faciunt. Ex earum nebulis tenebrarum creantur noctes errorum, et tempestas iniquorum: pro his, et de his in Evangelio Veritas respondit: *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum (Luc. xxii, 35)*.

CAPUT VII.

Audisti super abyssum tenebras, audi quia *Spiritus Domini superferebatur super aquas (Gen. 1, 2)*. Hic Spiritus Deus est et Dominus, sicut alibi legitur: *Vox Domini super aquas multas, Deus majestatis intonuit; Dominus super aquas multas (Psal. xxvii, 3)*. Fecit, inquit, *Deus firmamentum in medio aquarum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum (Gen. 1, 7)*. Angeli quippe illi qui steterunt, cadentibus aliis, humilitate levati sunt, et ex aquis suæ mutabilitatis in crystallum æternæ stabilitatis duruerunt. Hi non sibi, sed Spiritui sancto consenserunt, et beati sunt dum non suam, sed Domini voluntatem semper inquirunt, jugiter aspiciunt, perenniter diligunt.

De his Psalmista dicit: *Et aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini (Psal. cxlvi, 4)*. Aquæ istæ manent super firmamentum stabile et immotum, qui est Christus Jesus *portans omnia verbo virtutis suæ (Hebr. 1, 3)*. In eo charitate per-

fecta consolidatæ sunt, et a beatitudine, quam ibidem acceperunt, cadere nullatenus possunt.

Aquæ vero illæ quæ sub firmamento sunt, nimirum homines intelligi possunt, qui nondum laqueos tentationum evaserunt, qui nondum in maligno positum minime reliquerunt. Et his aliquando Spiritus Domini superfertur, quo suscitantur, ut vita, quæ erat lux hominum, destruat tenebras eorum, et transferat in lucem sanctorum. Ibi audiunt dicentem Apostolum: *Fristis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (Ephes. v, 8)*, Hæ sunt aquæ fideles, quæ verbo Domini in unum congregantur: unde ait: *Congregentur aquæ. quæ sub firmamento sunt, in locum unum, et appareat arida (Gen. 1, 9)*. Unum in unitate fidei, spei, charitatis, in unum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; in unam Ecclesiam Catholicam, uno Spiritu congregatam; in hac unitate apparet arida, illa scilicet terra, quæ Spiritu sancto divinitus irrorata, dedit fructum suum, genuit Salvatorem nostrum. Novit hoc Isaias, et videns clamabat: *Rorate cæli desuper, et nubes pluaut justum. aperiatur terra, et germinet Salvatorem (Isai. xlv, 8)*. Beata terra virgo Maria quæ dedit fructum suum, vitam angelorum et hominum, Dominum Deum Jesum Christum. *Et justitia, inquit, oriatur simul (Isai. xlv, 8)*.

Vide quia cum cæteris de carne carnaliter genitis prævaricatio traducta descendit; cum isto autem de virgine nato, operante Spiritu sancto: justitia oritur, quia culpa solvitur, iniquitas aboletur eorum qui per sacramenta renascuntur; inde et virtutum gratia vestiuntur, et mensa Dominica perfruuntur (*Isai. xlv, 8*). Ego, inquit, ego Dominus creavi eum non sub concupiscentia carnis, sed efficacia divinæ virtutis. De hoc angelus respondit Virgini: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbravit tibi (Luc. 1, 35)*.

CAPUT VIII.

Ex Adam, ex Abraham, ex David, et cæteris patribus in eadem genealogia consequentibus usque ad partum virginis) Jesus Christus Deus et homo unus descendit, et per clausam Virginis portam, ut Deum et Dominum decebat, vera nativitate princeps omnipotens ad nos egredi voluit, absque vulnere criminis, sine crimine prævaricationis. Factus est de Virgine, factus de nostro genere, non sub peccati traduce, sed abolitio culpæ, sed largitio veniæ, sed effusio gratiæ sempiternæ: solus mediator inter Deum et nos, summus pontifex concilians Deum et nos, sacerdos non secundum ordinem Leviticum, sed secundum ordinem Melchisedech manet in æternum. Melchisedech erat sacerdos Dei altissimi, cui Abraham decimas exsolvit et in lumbis Abrabæ ibi decimatus est Levi: qui sicut in lumbis Abrabæ, ita fuit et in lumbis Adæ in quo omnes peccaverunt. In Adam peccavit, in Abraham decimatus est. Quia peccavit decimari debuit. Dedimabatur quod curabatur, Christus vero sicut in Adam non peccavit, sic in Abraham non

decimabatur, non enim erat in eo quod curaret, sed medicina erat et salus, quo mala omnia, et mors ipsa destruitur. Est enim Christus sacerdos non secundum Levi, qui decimatus est, et a morientibus et ipse moriturus decimas accepit, sed secundum ordinem Melchisedech, qui, teste Apostolo, sacerdos Dei Abraham victori benedictionem dedit, cui decimas omnium divisit Abraham (Hebr. vi, 2).

Melchisedech iste, ut ait Apostolus, *neque initium dierum, neque finem vite habens, assimilatus autem Filio Dei manet sacerdos in æternum. Intuemini, ait quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha* (Hebr. vii, 3, 4). Ibi autem contestatur quia vivit, et, ut ita dictum sit, per Abraham et Levi qui decimas accipit decimatus est. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech: ea propter intueri libet, quia in lumbis Abraham aliter erat Levi, aliter et Christus. Erat ibi Levi sub lege prævaricationis, quia necesse habebat decimari. Erat ibi Christus, cui a Patre dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (Psal. cix, 1). Huic omnes debent decimas, quia omnes curat, et æternam benedictionem donat.

Sacerdos iste singularis et ineffabilis seipsum semper offerens Deo Patri pro nobis, seipsum donat et nobis, Deus et homo inter Deum et nos, cum Deo Patre unus in essentia, cum assumpto homine unus in persona. Solus iste tollit peccata mundi, mediator Dei et hominum pacem plenam facit uniens seipsum nobis, et nos ipsos sibi in Unitate sancti Spiritus, qui unus Patris et Filii unus est in omnibus nobis.

CAPUT IX.

Ab hac unitate sancta cadunt aliquando decisione manifesta homines impii, mente corrupti, naufragi circa fidem, cauteriatam habentes conscientiam. Pestes sunt hujusmodi hæretici, mendacia spargunt, perversa proponunt, faciunt schismata, seminant scandala. In suis tenebris obvoluti, criminibus sædi, persequuntur lumen fidei: *Qui male agit odit lucem* (Joan. iii, 20); lucem veram, quæ etiam lucet in tenebris, doctrinam sanam exsecrantur carnis intemperantiam, spiritus concupiscentiam, mentis superbiam amplexantur; et quia lumen fidei non admittunt, omnium scientia tenebræ sunt. Pro hujusmodi Veritas ait: *Vide ne lumen quod in te est tenebræ sint* (Luc. xi, 33). Isti quidem licet tenebræ sint, quia impii, quia scelerati, pro rationali tamen intelligentia quam naturaliter acceperunt, quandoque et alta cognoscunt, et sublimia sentiunt: sed suam quam habent de rebus corporeis scientiam, de incorporeis seu divinis cognitionem, vel experientiam non Deo, sed sibi referunt; suam, non Dei gloriam quærunt. Unde et obscuratum est insipiens cor eorum. Intellectus quidem hominis pro libertate arbitrii, pro captu rationali, pro intelligentia mentis, eum quærere, eum sequi, eum diligere semper debuit, a quo

tanta percepit; et virtute supra se ad Deum humiliter elevari, fide pura, spe indefessa, charitate profusa.

Econtra omnis illa hominum scientia, quæ nec fide regitur, nec spe levatur, nec charitate Deo conjungitur, manet in tenebris, nascit lumen veritatis. Hinc Moyses ait: *Vidit Deus lucem quia bona est, et divisit eam a tenebris: appellavitque lucem diem, et tenebras noctem* (Gen. i, 4). Lux si quidem rationis humanæ bona, quia a bono conditore bene condita, dum ei, a quo est seipsam præsentat, obtemperat, conservat virtute a Deo suscepta, fit melior seipsa. Hanc lucem appellat diem, quia sanæ mentis dealbata, et charismatum splendore vestita, fit dies charitatis, quam Deus inhabitat, et beatam facit. *Dies, inquit; diei eructat verbum* (Psal. xviii, 2): dies diei, Catholicus Christiano, Christianus Catholico, fidelis obedienti, obediens fideli eructat Verbum apud Deum, Deum Verbum, omnia facta per Verbum; et quia ea omnia in Verbo sunt vita, vita Verbum, vita lux hominum. Itaque vita et lux Verbum. Et ut plenius homo uniretur Deo, *Verbum caro factum est. Verbum caro idem Deus homo; et habitavit in nobis* (Joan. i, 14); non sicut in angelis, vel in omnibus creaturis, sed homo factus ex nobis. Est igitur vita, et lux hominum Verbum caro factum. Felix dies, quæ hoc diei eructat Verbum, hoc semper eructat qui diligit ipsum.

Dies diei eructat verbum et nox nocti indicat scientiam (Psal. xviii, 2). Nox nocti errans hæretice, hæreticus erranti, sceleratus impio, impius scelerato indicat scientiam suo sensu conceptam; falsis opinionibus lubricam, pertinacia jactatam. Scientia hæc, quia superbia nititur, elatione grassatur, quærit tantum inflari potius quam edificari. E contra Verbum charitatis humilitate proficit, veritate subsistit, diem ex die pronuntiat, quos replet illuminat, sacramentorum gratia perornat, virtutum manibus ædificat. Hoc Apostolus affirmat dicens: *Scientia enim inflat, charitas vero ædificat* (I Cor. viii, 1).

CAPUT X.

Charitas itaque patiens et benigna domum Dei ædificat, quam summa sapientia septem columnis charismatum, structura mirabili consummat, justitiæ sole clarificat, plenis honorum omnium copiis locupletat. Hanc domum a longe prospiciens Psalmista dulci modulatione canebat: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi. in domum Domini ibimus* (Psal. cxxi, 1). Psalter iste in domo Domini transitoria et caduca, in Jerusalem terrena, pro more canebat, sed ad illam supernam et immotam, stabilem et beatam Jerusalem pia devotione tendebat. In hoc autem cæpti progressu itineris potissimum stare intenderant qui dicebant: *Stantes erant pedes nostri in atris tuis Jerusalem* (Psal. cxxi, 2). Ne vero istam ruinosa et vetustam attendas Jerusalem, sed illam celestem veram et beatam respicias, adjecit: *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* (Psal. cxxi, 3). De

Hæc astra cernunt: Qui confidunt in Domino sicut astra in firmamento; non commovebitur in æternum qui habitabit in Jerusalem (Psal. cxxv, 1.)

In ista præsentis misera et commota commovetur omnis qui inhabitat, in illa cœlesti gloriosa, et quieta nullatenus commovetur quisquis inhabitat. *Cujus, inquit, participatio ejus in idipsum (Psal. cxxi, 3.)* Ac si patenter dicat: Beata illa civitas cœlestis Jerusalem particeps est ejus in idipsum. *Intransitive dicitur, ejus in idipsum, singulariter positum, divinitus assumptum, soli Deo et semper assignatum, tanquam proprie proprium; Deus enim, nec incipit, nec desinit, nec variatur: hoc autem sicuti est plenius scire, vel intelligere, nulli unquam licitum est creaturæ, nisi ei, quæ Spiritum sanctum accepit, quo suscepto, et ipsa unum esse cum Deo meruerit, unum gratia per Christum, unum participatione ejus in idipsum. Videbimus, inquit, eum sicuti est (I Joan. iii, 2.)* Videmus eum in præsentis *per speculum et in ænigmate (I Cor. xiii, 12); per sacramenta, nondum in essentia. Nunc, ut ait Apostolus, abscondita est cum Christo in Deo vita nostra: cum autem apparuerit Christus vita nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria (Coloss. iii, 3).* Ibi non fides, sed meritum fidei; ibi non spes, sed remuneratio spei; ibi charitas, quæ nunquam excidit, quod dilexit, plene et perfecte videbit.

Hujus cœlestis et beatæ Jerusalem aperta sunt atria, in hac præsentis et temporali Ecclesia; unde canit Psalmista: *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem (Psal. cxxi, 2).* Hæc sane atria sunt in Ecclesia, quæ adhuc parturit et laborat. Filios enim per sacramenta generat, per virtutes elevat, per Jesum Christum triumphatores cœlesti Jerusalem jugiter assignat.

Attamen dum in hac lacrymarum valle peregrinatur, scandala necesse est patiatur. In hac passim prodeunt insidiæ perfidorum, obscenitas criminum, rapacitas prædonum, turbines errorum, tempestates hæresum. Inter hæc autem tam pessima, tam importabilia mala stat fides Petri, fides Catholica, turris eminentissima. *Mille clypei pendent ex illa, et omnis armatura fortium (Cant. iv, 4); clypei protectio sacramentorum, armatura fortium, jacula virtutum. Sacramentis protegimur, virtutibus superamus. Mille quidem plenus est numerus et completus: bene ergo mille sunt clypei, quia perfectio est in Ecclesiæ sacramentis: bene omnis armatura fortium, quia est in ea plenitudo virtutum. Turris itaque Catholice fidei turris est fortitudinis; hæc est turris David quæ respicit contra faciendam Damasci. David, id est manu fortis, seu visu desiderabilis intelligitur; Damascus os sanguinis interpretatur; turris quippe David, quæ est Ecclesia Christi munita, et fortis ex adverso Damascum respicit, stat contra feritatem sorbentis sanguinem, contra hæreses et omnem impietatem.*

Ex hac turri munitissima et præcellenti prodeunt armati, fortes et validi, qui virtutum gladiis perimunt hostes fidei: *Horum fortissimi cusodiunt lectum Salomonis (Cant. iii, 7):* his circumseptus rex pacificus mira suavitate quiescit. Ibi namque lumen Catholice fidei clarius excrescit; spes, quæ non confundit, validius inardescit; charitatis flamma copiosius assurgit; ibi lætitia, et pax gratissima. Ex adverso de tenebris abyssi, de frigidibus aquilonis, de cruenta facie Damasci emergunt impii, fluunt schismatici, fantur hæretici. Impii nec Deum colunt nec sacramenta suscipiunt. Schismatici, nec patribus suis obediunt, nec Catholice communioni consentiunt.

CAPUT XI.

Hæretici perversa proponunt, et contra sacramenta disputando sæviunt. Sacramenta, inquit, solummodo prosunt scientibus, non ignorantibus adultis prosunt, parvulis nihil conferunt. Condemnant isti baptismum parvulorum et infantium; trahunt de Evangelio contra Evangelium, et dicunt: in Evangelio legitur: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur (Marc. xvi, 16).* Ita proponunt, deinceps assumunt; sed parvuli non credunt: statimque concludunt, igitur baptismata parvulis non prosunt.

Ad hæc surgunt Catholici, omni armatura fortium præmuniti, et dicunt quia hoc producti capitulum Evangelii non quidem de parvulis, imo dictum est de scientibus, de adultis. Adulti namque homines, vel sui sensus et memoriæ compotes, non debent baptizari, nisi prius data sui professione nominis et fidei; talibus illico mandatur, ut quod promittunt fide, teneant opere. Etenim scriptum est: *Quia fides sine operibus mortua est (Jacob. ii, 20; 26);* quare non debuit opponi parvulis, quod vere dictum fuerat de respondentibus pro se, et aperte professis. Cum autem generaliter dicat in Evangelio Veritas: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei (Joan. iii, 5).* Et alibi: *Ita, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti (Matth. xxviii, 19);* nullus excluditur, nec infans recens natus. Quapropter illa eorum fraudulenta conclusio passim respuitur; non procedit, quia gratiæ Dei adversari plane convincitur. Non tangit parvulos, vel infantes, sed scientes, sed suæ fidei professores.

In parvulis quidem sola quæritur gratia, nondum opera. Gratia sanctificationis ex baptismo, nondum opera debite actionis ex arbitrio. Quomodo autem in præsentis datur sacramentum baptismi, sic in antiquo tempore dabatur parvulis sacramentum circumcisionis. Sub antiquis patribus parvuli octavo die circumcidebantur, deinde munerebuntur hostiarum Domino consecrabantur. Omnes enim ex carnali genitos concupiscentia conclusit originalis

culpæ macula. Apostolus dicit : *Quia omnes in Adam peccaverunt. et egent gloria Dei* (Rom. III, 23). Sed parvuli quomodo culpam nesciunt, quam ex Adam originaliter trahunt, ita et gratiam nesciunt, quam in Christo per sacramenta recipiunt : sicut autem parvuli non excusantur a culpa, quia eam nesciunt, sic ne excluduntur a gratia, quam præstitam non agnoscunt.

Nescivit Chanaan Cham patris sui culpam, qui Noe genitoris sui nuditatem risit, et tamen pro culpa Cham patris sui servus cum sua posteritate Chanaan remansit (Gen. IX, 22). Verumtamen pro obedientia Abraham patris nostri, generalis benedictio in omnes gentes nullis eorum meritis gratanter effluxit. Unde et hæc sacri regeneratio baptismi, solius est gratiæ, non meriti. *In semine, inquit, tu benedicentur omnes gentes* (Gen. XXII, 18). In semine tuo, hoc est in Christo, qui Deus homo fieri voluit, ut hominem solvat a peccatis. Peccare quidem homo potuit, sed peccatum peccator suum dimittere sibi non potuit. Quapropter omnis eget gloria Dei, qui peccata dimittit homo factus pro nobis ; ut, quod non potuit homo solus, efficiat homo Deus, qui *cui vult miseretur et quem vult indurat* (Rom. IX, 18) ; cui vult gratiam impendit, et quem vult condemnat.

De Jacob et Esau nondum natis, nondum scientibus, Apostolus Dominum dixisse testatur : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (Rom. IX, 13). Nesciebat Jacob gratiam dilectionis, quam accepit ; nesciebat Esau sententiam odii, quod incurrit ; Jacob quidem et Esau, sicut omnes, in Adam peccaverunt. Sed Jacob pro gloria Dei gratuita dilectione donatur ; Esau vero pro originalis culpæ merito, ira Dei reprobatur. Misericordiam in Jacob, judicium in Esau pariter intuemur ; et cum Propheta dicimus : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (Psalm. C, 4). Mala siquidem a nobis habemus, pro quibus merito et damnamur ; bona vero nisi a Deo habere nulla possumus, sed pro gratia nobis a Deo præstita indebite, salvamur. Hujus dator gratiæ Jesus Christus natus de virgine, plenus gratia et virtute, sacramentum circumcisionis in seipso suscepit, sacramenta sanctificans, non egens sacramentis. In templo cum hostiis est oblatus, hostias consecrans, non hostiis consecratus. Quod autem iste major omnibus, sed parvus pro nobis factus, sacramenta suscepit, agendo nobis innuit parvulos sacramentis non debere privari, de quibus postmodum ita respondit : *Sine parvulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum* (Marc. X, 14). Et ipse quidem Dominus omnium, et Salvator universorum a servo suo baptizatus, a Joanne Christus, baptismum sanctificavit, non est baptismum sanctificatus.

Sacramentum hoc non sicut circumcisio in masculis tantum, et in octavo die, sed omni tempore, in omni sexu, omni ætate, unicuique semel impenditur, sine quo nemo a culpa solvitur, nemo salva-

tur. Baptismum quippe pro nobis accepit ipse Dei Filius, ne quod Deus prærogat, ab homine respiciatur ; nec quod præstat gratia, meritis imputetur. Quapropter omnes in omni sexu, in omni conditione, omni ætate, omni tempore, semel baptizari, absque iteratione, dum hic vivitur, est necesse.

CAPUT XII.

Sed his succincte decursis adhuc hæretici sæviunt, et litigando dicunt : Christus cum esset annorum triginta baptismum accepit, ideoque parvuli non debent baptizari, sed hi qui eo annorum tempore quo Christus baptizatus est, voluerunt baptizari.

Declamatio hæc hæretica, tam perniciosa quam pessima, non solum parvulos, sed et quoscunque minoris ætatis viros, excludere nititur a baptismo. Sciendum est autem, et Catholice profitendum, quia baptismus Christi a Christo sanctificationem accepit, non Christum sanctificavit. Nos vero, qui in Christo baptizamur, baptismum Christi sanctificamur : non igitur baptismus Christi, quem, ut ipsum sanctificaret, accepit, nostro baptismati, quo sanctificamur, debuerat opponi. Christus Dominus venit ad Joannem ut baptizaretur ab eo in Jordanem. Joannes prohibebat eum, dicens : *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Respondit autem Jesus et dixit ei : *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum* (Matth. III, 14, 15). De hoc Lucas evangelista prosequitur ita : *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est ei cælum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum ; et vox de cælo facta est : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi* (Luc. III, 21, 22). Attende ergo et intellige quia in baptismo isto manifesta est ipsa Trinitas Deus, quæ singulariter et inseparabiliter adoratur. Audis Patrem de Filio attestantem ; aspicias egressum de aqua Filium, intueris Spiritum sanctum sicut columbam descendentem in ipsum. Ita quoque fit in omni baptismo Christi. Quisquis illud more debito suscipit, efficitur Filius Dei ; et vox Patris attestatur ei : *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi* (Luc. III, 22) ; et Spiritus Dei in ipsum descendit. Hæc est omnis justitia, quam Jesus Christus adimplere venit in omni regenerato fonte salutari.

Aperti sunt ei cæli qui factus est in baptismo Filius Dei. Hic habet Deum Patrem, et Spiritum sanctum in se descendentem. Hoc Psalmista intuens pie decantabat, dicens : *Veritas de terra orta est, et justitia de cælo prospexit* (Psalm. LXXIV, 12). Veritas de terra orta est, Jesus Christus de Maria natus est, cujus largitione mirabili justitia de cælo prospexit, quæ filios iniquitatis emundatos a culpæ macula, cælesti vestitos gratia, sicque justificados ad cælum de terra perducatur. Fiunt isti nova creatura, qui baptizantur in præsentem Ecclesiam matrem nostram, aliquando professione sua, aliquando attestazione aliena. Parvuli quidem, dum sacramenta quæ nesciunt aliorum opere suscipiunt, per fidem

Ecclesiæ Catholicæ præfatam illam de cælo justitiam induunt, et membra Christi fiunt. Salvantur isti et justificantur Christi baptismo, nondum sua fide, sed sacramento fidei alienæ.

Sic sic ille paralyticus ante Dominum Jesum a tecto demissus non fide sua, sed aliena salvatur: *Ut vidit, inquit, fidem illorum, dixit: Fili, remittuntur tibi peccata tua; et: Surge, et ambula* (Matth. ix, 2, 5). Sic mulier Chananaea rogans pro filia, nimia importunitate sua gratiam invenit, et audire meruit: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti* (Matth. xv, 28). Sic regulus pro filio (Joan. iv, 46); sic vidua egit pro unico suo (Luc. vii, 12); sic pro surdis et mutis, et nimia infirmitate præventis fides aliena solet operari, quæ in Christo *vult omnes salvos fieri* (I Tim. ii, 4). Ista pro parvulis utique baptizandis pauca perstrinximus, ne nihil hæreticis super hoc respondisse causemur.

CAPUT XIII.

Præterea loquuntur aliqui (tamen evitare volentes ne dicantur hæretici), quæstionem faciunt, et dicunt: In Veteri Testamento legimus scriptum: *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (Gen. xv, 6). Denique in Novo subjunctum est fidei sacramentum baptismi, ubi ait: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (Marc. xvi, 16). Si ergo ex fide justificatio, et salus ex baptismo, quid credentibus et baptizatis, justificatis et salvatis confirmatio manu facta pontificis superapposit?

Audiant isti, quia vere ad remissionem peccatorum, et ad justitiam, ad perceptionem gratiæ, et ad vitam æternam sufficit baptismus a quibuslibet, per quoscunque, omni tempore, omni ætate, omni conditione, omni sexu, semel in Christo rite susceptus. Ibi datur absque meritis gratia, ex gratia justitia, ex justitia vita, si statim obierit, sempiterna et beata, nullaque ei reputantur in peccatum propter baptismi remedium. Si vero post baptismum supervixerit, qui sanctificatus per gratiam Christi a baptismo surrexit, protinus incentiva carnis suæ sustinens, et diaboli congressus excipiens, nisi indutus virtute ex alto stare non poterit, superatus carnis suæ concupiscentiis, et mundi illecebris, et Satanæ tentamenti: *Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (Psal. cxxvi, 2). Ad hoc pontifex summus dator gratiarum, largitor charismatum, post ascensionem suam discipulis suis jam purificatis, jam sanctificatis, Spiritum sanctum in igne vehementer effudit. Accepto itaque spiritu principali, calore virtutis, igne charismatis, illi ipsi qui antea relicto Domino fugerant, et qui arguentem extimuerat ancillam, mox in medium absque timore processerunt loquentes magnalia Dei, cum omni fiducia prædicantes verbum Dei.

Sicut ergo pontifex noster, summusque sacerdos, de sede majestatis in discipulos suos prius per Spiritum sanctum baptizatos, et sanctificatos, postea in igneis linguis Spiritum sanctum plenius effudit;

ita et ii qui præminent officio pontificali, donant opere cælesti, vice Jesu Christi, donant filiis in baptismo regeneratis, super eos imponentes manus, cum oratione et signo sanctæ crucis, et unctione chrismatis Spiritum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis, Spiritum timoris Domini; hi sunt septem in uno lapide oculi; septem candelabra in templo Dei; septem tubæ sub manu Josue triumphantis; septem stellæ in ordine pontificali: hi thesauri superabundantes; hæ divitiæ præcellentes.

Dantur ista fidelibus Christi renatis lavacro salutari, fonte perenni, ope Spiritus sancti, qui ab initio sæculi superferebatur aquis, ad demonstrationem sacri baptismatis in Ecclesia Catholica rite celebrandi. Dantur ista non baptizandis, sed postquam fuerint baptizati dantur, non a quæcunque, sed manu sola pontificis; de hoc in Actibus apostolorum Lucas evangelista sic ait: *Cum audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quia recepit Samaria verbum Domini, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu Christi. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum. Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manus apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens; Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri* (Act. viii, 14-20). De Simone Mago isto apostata facto, Lucas meminit ita dicens; *Cum in Samaria credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, et in nomine Jesu Christi baptizarentur viri ac mulieres, tunc Simon et ipse credidit: et cum baptizatus esset, adhærebat Philippo* (Act. viii, 12, 13). Philippus autem non apostolus, sed levita, de septem erat unus. quibus apostoli orantes imposuerunt manus. *Videns itaque Simon Magus per Philippum signa et virtutes maximas fieri, stupens admirabatur* (Act. viii, 13). Denique videns apostolos Petrum et Joannem dare Spiritum sanctum per orationem et manus impositionem, ambitione nimia concupivit hanc præcellentem pontificum dignitatem; et episcopalem celsitudinem, mediante pecunia, possidere sub obtentu rapacitatis et avaritiæ. Ex hoc Simone Simonia nomen accepit, quæ dona Dei et beneficia gratis accepta, gratis exponenda mercimonio interveniente confundit. Sed Petri potestas, sed pontificalis auctoritas, sed fidei Catholicæ puritas, hanc in Simone pestem, et in ejus complicibus illico perdidit, et maledictioni subjecit. Perditus est itaque Simon Magus cum suis sequacibus, quia donum Dei possidere voluit, pecunia interveniente, ut quod emerat posset aliis vendere. Perdantur et isti qui nunc obloquuntur hæretici, dicentes inane et superfluum esse, quod

post perceptionem sacri baptismatis confirmantur ab episcopo fideles Christi.

Ideo namque missi sunt in Samariam ab Jerosolymis Petrus, et Joannes ab apostolis, ut eos qui a Philippo evangelista fuerant baptizati confirmarent auctoritate pontificali, super eos orantes, eisque manus imponentes, ut Spiritum sanctum acciperent. Datus est ibi Spiritus sanctus non ad emundationem peccatorum, et sanctificationem, quam in baptismo susceperant, sed ut contra rediviva carnis peccata, contra mundi hujus oblectamenta, contra Satanae dira certamina, acciperent divinam et insuperabilem gratiam septiformem sapientiae, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis, timoris Domini. His indutus atque munitus quisquis in Christo renatus, ubique securus undecunque laecessus victor egreditur; huic victori corona debetur; huic triumphanti gloria praeparatur. Festinet itaque omnis in Christo baptizatus, ut oratione pontificis et manus impositione, caelestis unctione chrismatis consignetur, et sic virtute ex alto suscepta victor ubique proficiat, et pro chrismate regali in perpetuum nomine Christiano praefulgeat.

CAPUT XIV.

Talibus, dum in praesenti vivitur, necesse est ut vitalis refectio praeparatur, panis vitae, calix benedictionis aeternae, corpus et sanguis summi Pontificis nostri Jesu Christi. Hoc autem omnino necesse est, nec alicui Christiano a participatione tanti mysterii abstinere licitum est. Huic Dominus ait: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat, inquit, carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (Joan. vi, 54-56).* Denique in cena paschali, de veteri novum, de terreno divinum, panem vivum discipulis suis dedit; hinc Matthaeus ait: *Caenantibus autem illis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit; deditque discipulis suis, et ait: Accipite et manducate: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (Matth. xxvi, 26-28).*

Ex hac communionem veri corporis et sanguinis Jesu Christi, et nos Jesu Christo, et Jesus Christus nobis unitate foederamur inenarrabili, sicut ipse dicit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo (Joan. vi, 55).* Noster iste summus pontifex inter discipulos suos vivus et integer erat, suisque manibus corpus et sanguinem suum dabat: *Hoc, inquit, facite in meam commemorationem (Luc. xxii, 19).*

Ex hac ergo institutione, et praepcepto, in altari Dominicico, et ore sacerdotum et manibus ipsum

corpus, ipse sanguis Christi conficitur; non incipit, non nascitur, sed quod totum manet in dextera Dei Patrie, totum est in manu sacerdotis, totum in ore sumentis, unum in multis, idem in diversis. Munus hoc inestimabile, donum hoc incomparabile datum est universali Ecclesiae matri nostrae in illo sacro convivio paschalis coenae. Frustra igitur proditor Judas Dominum Jesum Judaeis vendebat, quem largitione divina sub aeterno munere mater Ecclesia semper habendum susceperat. Frustrati sunt ergo et ille vendens proditor, et perfidus emptor: *Vicit enim teo de tribu Juda, radix David (Apoc. v, 5): lapis excisus de monte sine manibus (Dan. ii, 34).* Deus et homo, de virgine natus, ex humano genere sine manibus, absque carnis amplexibus, Deus et homo unus Jesus Christus, per omnia nobis absque peccato similis factus, pro nobis hostia salutaris, reconciliatio generalis, oblatus in cruce Deo Patri, fideles suos pariter omnes tam defunctos quam viventes a peccato redemit, a reatu purgavit, a poena gratanter absolvit. Patriarchas et prophetas, et quoscunque titulo fidei praesignatos a mundi exordio, Christus pontifex noster et sacerdos, ab inferis sua morte redemptos eduxit, resurgendo levavit, ascendendo glorificavit.

Sedens itaque ad dexteram Dei Patris seipsum absque detrimento perpeptione, absque omnimoda detritione donat in altari, per officium sacerdotis, viventibus suis fidelibus in remissionem peccatorum, defunctis sanctis, vel intra Ecclesiam absolutis, in expiationem poenarum; et utriusque in vitam perennis alimentum. *Ego, inquit, sum panis vivus, qui de caelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum; et. Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita (Joan. vi, 51-52).* Hac est viva hostia, quam Dominus noster Jesus Christus et ipse Deo Patri pro nobis obtulit, et nos more debito offerre mandavit. *Hoc, inquit, facite in meam commemorationem (Luc. xxii, 19).* In ejus equidem commemorationem hoc ipsum facimus, dum quemadmodum et ipse fecit, et nos facere praepcepit, pro defunctis fidelibus, vel adhuc in praesenti degentibus, in ara Dominica quotidie ipsum immolamus. In omni namque missa quam facimus, Agnum, qui semper vivit, qui tollit peccata mundi, et immolando sumimus, et sumptum non consumimus. *Ego sum, inquit, panis vitae, etc. Ego sum panis vivus, non sicut manna in deserto (Joan. vi, 48-51), quod calorem solis ferre non poterat, quod in Sabbato non apparebat, de quo dicit: Patres vestri manducaverunt in deserto manna et mortui sunt (ibid., 31).* Patres mali, patres increduli, et corpore et anima pariter mortui: Non erat eis remedium contra mortem manna comestum. Vera enim et sola contra mortem medicina, qui ait: *Ego sum resurrectio et vita (Joan. xi, 25).* *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam aeternam (Joan. vi, 55). Amen.*

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Satana sæviente contra veritatem fidei Catholicæ lux vera procedit, et Spiritus sancti gratia clarior innotescit, loquitur veritas, mendacium cadit. Fiunt sacramenta, peccatum desinit. Fons patens in domo David toto orbe diffunditur, baptizantur homines et salvantur. Cœli aperti sunt et virtutes operantur. Desponsatur Ecclesia Christo, induitur virtute ex alto. Episcopi sponsalia præparant, et septiformis gratiæ Spiritum donant. Regali chrismatæ signatur. Ecclesia, stat regina a dexteris sponsi in veste deaurata, charitatis splendore corusca. Hic autem sponsæ tam illustri, tam speciosæ, paratur cœna paschalis in aula sapientiæ; ibi vitulus saginatus integer, et perfectus agnus anniculus, plenus et immaculatus, cum omni suavitate, dulcissimo sapore, gratissima dilectione percipitur. Cibus iste, non terrenus, sed super cœlestis esse dignoscitur, ex eo et per eum, et in ipso vita, et æternitas, et beatitudo percipitur. Est enim cibus iste non transitorius, sed quotidianus, sed sempiternus, semper totus, semper vivus; isto vivunt angeli in cœlis, et beati sunt; isto vivunt homines in terris, et sancti sunt.

Est namque cibus iste verbum non transitorium, sed æternum non mutabile, sed id ipsum apud Deum Deus Verbum, apud nos Verbum caro factum, et habitavit in nobis: *Et vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis* (Joan. 1, 14); et: *Nos de plenitudine ejus omnes accepimus* (ibid., 17): omnes videlicet episcopi, diaconi, subdiaconi, acolythi, exorcistæ, lectores, ostiarii, et cæteri sub corona clericali; principes quoque et potestates hujus terreni moderaminis, et reliqui nomine Christiano signati.

Episcopi toto terrarum orbe dispositi funguntur vice Christi, et principaliter ædificant domum Dei: Sicut enim summus pontifex et universalis episcopus noster Jesus Christus, ex omnibus discipulis suis elegit duodecim, quos cæteris præferens apostolos nominavit, quos etsi puros homines, sui tamen officii fecit esse consortes, et divinæ magnificentiæ compotes: ita quoque ipsorum in episcopali gratia successores præules sive pontifices excellenti singulari præeminere fecit; ut more apostolico sanctum donent Spiritum his, quibus rite manus imponunt. Qui autem ordine censentur inferiori, ut presbyteri, diacones, et cæteri gradu canonico in Ecclesia promoti, habent utique Spiritum sanctum, quo bene vivunt, et in Ecclesia Dei pro officio die deserviunt; sed aliis quem acceperunt sanctum dare Spiritum manus impositione

A non possunt. Soli hoc episcopi a Domino speciali prærogativa susceperunt, quod præcellenti opere, ipsum quem habent Spiritum sanctum, ipso dominante qui dedit, donant et aliis, quibus ex officio pontificali, suis precibus ad Dominum, pie manus imponunt.

Mirandum quippe miraculum omni veneratione dignum, non tamen novum, non quidem est insolitum, sic nempe olim Dominum egisse legimus, de Moyse Spiritu in libro Numeri: *Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, et loquar tibi, et auferam de spiritu tuo, tradamque eis ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris* (Num. xi, 16, 17). Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senioribus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum; descenditque Dominus per nubem, et locutus est ad eum auferens de spiritu qui erat in Moyse; et dans septuaginta viris. Cumque requiescisset Spiritus in eis, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt (ibid., 24, 25). Solus quippe Moyses sanctum acceperat Spiritum, quo regere poterat commissum sibi a Domino populum. Ipsum itaque Moyse Spiritum, non humanum esse sentias, sed divinum; Deus enim erat Spiritus quem a Domino Moyses habuit, quem a Moyse sumptum mentibus aliorum Dominus infudit: erat quidem in Moyse Spiritus Domini, qui et datus est aliis, quos more divino replevit; totus in Moyse, totus in illis. Moyses ipse hunc Spiritum fatetur esse divinum, ubi mox respondit, dicens: *Quis tribuat ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus Spiritum suum* (Num. xi, 29). Ipse etiam Moyses pontifex et sacerdos Domini, super Josue ministrum suum manus imposuit, eique Spiritum sanctum dedit. In Deuteronomio legis: *Josue vero filius Nun, repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas: et obedierunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcepit Dominus Moyse* (Deut. xxxiv, 9). Iste est Moyses qui Aaron primum sub lege pontificem, et filios ejus consecravit, eisque Spiritum sanctum ad agenda, divina mysteria pontifex ipse et sacerdos mirifice dedit. De ejus sacerdotio Psalmista sic ait: *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus; et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus* (Psal. xcvi, 6).

Elias quoque, si bene recolo, non solummodo Spiritum sanctum habuit, sed etiam Eliseo dedit: *Ore*, inquit Eliseus Eliæ, *oro ut spiritus tuus duplex fiat in me* (IV Reg. ii, 9). At ille: *Si videris,*

inquit, quando tollar a te, erit quod petisti (IV Reg. II, 10). Ad hoc Eliseus perstitit, vidit et accepit. Proinde filii prophetarum ita dixerunt: *Requievit spiritus Eliæ super Eliseum* (ibid., 15.) Unde et Eliseo sicut prius Eliæ subditi permanserunt.

Ubi autem venit plenitudo temporis, in qua misit Deus Filium suum pontificem, et episcopum secundum ordinem Melchisedech in æternum, effusa est a sede majestatis superabundans, et largiflua septiformis gratia Spiritus sancti; ex quo pontificalis auctoritas, et episcopalis dignitas plenius excrevit (Gal. IV, 4). Hinc Petro ait: *Tu es Petrus, et super hanc Petrum ædificabo Ecclesiam meam* (Matth. XVI, 13). Est enim et Petrus in ea, et ipsa in Petro, episcopus in Ecclesia, et Ecclesia in episcopo. Est episcopus Ecclesiæ fundamentum, quia per episcopum habet Ecclesia Spiritum sanctum. Est episcopi conficere chrisma sacrum, oleum sanctum, oleum infirmorum; consecrare basilicas Dei et altaria, calicem et corporalia, officiales et eorum vestes et omnia Ecclesiæ instrumenta. Baptizatos confirmare, cæsares et reges sacrare. De petra ista, super quam fundata est mater Ecclesia, sub pastoralis virga bis percussa, ad amorem Dei et proximi excitata, fluunt aquæ largissime, aquæ salutare, aquæ vivæ: *Qui biberit, inquit, aquam, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (Joan. IV, 13). Et alibi: *Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: hoc autem dicit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (Joan. VII, 38, 39). Cum, inquit, venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem (Joan. XVI, 13).

Quod itaque non potest solus homo scire sensu suo potest homo plenus Spiritu sancto: secundum hoc ait: *Omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (Joan. XV, 15). Nota in Spiritu veritatis, nota in plenitudine charitatis. Talibus datum esse nosse mysterium regni Dei (Marc. IV, 11). Ne quis autem præsumat eos non audire, vel eorum præcepta cassare, dixit: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui misit me* (Luc. X, 16). Et alibi: *Non, inquit, vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (Matth. X, 20).

Habentes igitur a Domino Spiritum veritatis scientes mysteria regni Dei, sicut a Domino Jesu, pariter apostoli susceperunt, sic per orbem terrarum tenenda posteris mandaverunt. Post apostolos enim secuti sunt viri apostolici, pontifices et episcopi, qui virtute cœlesti semper ædificant domum Christi quam sustentant septem columnis. Septem enim sunt gradus illi perutiles et necessarii, ad sustentandum et conservandam domum Dei manu pontificis perornati gratia septiformi. Hi sunt secundi ordinis viri, scilicet presbyteri, et post eos Levitæ seu diaconi; exinde subdiaconi, acolythi, exorcistæ, lectores, ostiarii, pro officiis ab episcopo sibi delegatis. Isti si absque nutu episcopi, vel

contra episcopum agere præsumunt, a septenario numero decidunt, a septem columnis prætaxatis resiliunt, a domo sapientiæ prolapsi per-eunt. Sed, his omissis, cœpta teneamus, et de septem columnis Ecclesiæ Dei aliqua sub brevitate dicamus.

CAPUT II.

Primum de presbyteris, quos episcopi, invocato Spiritu sancto, consecrant ad conficienda corporis et sanguinis Domini sacramenta prout ipse Dominus in cœna paschali fecit, et fieri mandavit, fieri tantum ab episcopis, et sacerdotali presbyterio sacratis. Hujus officii præcellens potestas, et potestatis præcelsa dignitas, non angelis, non cuilibet supernorum civium majestati collata est. Deus homo eam homini dedit, non ope humana, sed cœlesti; non acquisitione meriti, sed electione pietatis, ex dono Spiritus sancti gratanter accepti, quo consecratus ad hoc opus in Christo meruit, ut prorsus idem ipsum officiat in altari quod Christus fecerit manibus suis in cœna paschali. Quapropter manus illæ, manus ad hoc sacratæ, quibus Christi corpus et sanguis in altari sacro habet confici, manus utique sunt Christi, quibus offertur Patri Filius, qui tollit peccata mundi, et defunctos fideles liberata pœnis, et æternæ beatitudinis participes facit.

Consecratus itaque sacerdos stat, vice Christi coram Patre summo Dei et hominum mediator, dum sacramenta ineffabilia desuper apertis cœlis profert et elevat ab altari, quibus Ecclesiæ filios participes communionem facit, dum in Spiritu sancto quem accepit, et pœnitentibus peccata dimittit, et Deo reconciliat quos absolvit. Præfulget in hoc opere Spiritus sapientiæ quo in eis sanctificatur nomen Patris, sicut in oratione Dominica precatur quisque fidelis (Matth. VI, 9), fluntque pacifici, ideoque beati censentur, *quoniam filii Dei vocabuntur* (Matth. V, 9). Pacificant isti in vita præsentem Deum homini, pro ordine suo sacramentis rite celebratis, suisque meritis, et manibus suis cœlesti medicamine plenis.

Sciendum est itaque, et omni prædicandum veneratione, quia Spiritus sapientiæ sanctificat eos Patri nostro Deo in filios, non quoscunque, sed pacificos, ideoque beatos, et in præsentem sæculo, et in futuro.

CAPUT III.

Post presbyteros autem consecrantur Levitæ seu diaconi manus impositione pontificis, ut in Ecclesia Dei præsto sint altari, dum in eo flunt sacramenta corporis et sanguinis Domini. Qui licet non agant ipsi consecrationem, tamen suscipiunt a consecratore dispensationem veri corporis et sanguinis Jesu Christi. De manu namque pontificis, seu presbyteri, suscipiunt quo se et alios munifica largitione alimento vitali reficiunt, et bona Ecclesiæ sub episcopi voluntate disponunt. Sunt oculi pontificum et presbyterorum, ut in quantum possunt quietem

et pacem eos habere faciant, qui peragendis sacramentis invigilant, qui docere populos, et orare quietius elaborant.

Præfulget in hoc opere Levitarum seu diaconorum, Spiritus intellectus, quo et sacramenta quæ dispensant intelligunt; quo res sibi commissas pie disponunt; quo prædicatoribus Verbi Dei pacem et quietem, removendo perturbatores et inquietos, pro posse suo faciunt. Hi perornati castitate, et beati mundo corde, quærent regnum Dei, dum per diaconias suas episcopis viam doctrinæ faciunt, et de singulis episcopo quærorunt, certius innotescunt. Et hos etiam evangelistas esse pontifices statuunt, et hi vices pontificum diligenter exsequi pro ordine suo satagunt.

Hi nimia charitate sua promerentur cum Stephano videre Filium hominis stantem a dextris Dei. Hi quoque in celebratione Dominicæ missæ dum sanctum Evangelium pronuntiant præsentī Ecclesiæ, respondetur eis, *Gloria tibi, Domine*, consona fidelium voce.

CAPUT IV.

Post diaconos autem subdiaconi promoventur, quibus, oratione præmissa, ab episcopis cura imponitur, ut obedientes parent Levitis, atque præbyteris, et præparent sacrata vasa in quibus conficitur corpus et sanguis Christi. Præparent pro more panem, et vinum, et aquam, et vasa his convenientia: pallas quoque altaris, et prandea [*al. brandea*], prompta sollicitudine et diligentia.

Hi dum ab episcopo consecrantur, proponitur eis sermo continentiæ et castitatis. Si vero castitatem deinceps se tenere proposuerint, tunc episcopus dat eis tenere calicem Domini in manibus suis, ut ab ea die intendant calici Domini cum humilitate et castitate.

Apparet in hoc opere Spiritus consilii quem specialiter accipit, dum consecratur oratione pontificis, suo suscepto servare seipsum mundum et castum intendit, et præparare se mysteriis, et mundata præsentare vasa sacramentis. Isti quidem de seipsis minime præsumunt, sed voluntatem suam voluntati Domini supponunt, et humiliter dicunt: *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra* (*Matth. vi, 11*): sicut in spiritualibus Patribus nostris, sic et in nobis eorum filiis adhuc terrenis, adhuc decertantibus contra concupiscentias carnis. Fiunt isti misericordes ex hoc fiducialius misericordiam a Deo postulantes.

CAPUT V.

Post subdiaconos sequuntur acolythi ab episcopis ordinati, ut in Ecclesia Dei ferant urceola, aquamanilia, manutergia officio convenientia, ut ante faciem Evangelii præferant ipsi luminaria accensa, cerogeralis diligenter imposita; ita ut in ipsis appareat quod veræ fidei lumine, quod spei certissimæ splendore, quod charitatis ardore justitiam regni Dei, per Evangelium declaratam, et ipsi quærant,

et alios ad quærendum sui luminis exemplo commoneant; et exinde tam seipsos, quam et alios ad percipienda sacramenta fortiter esuriendo perducant.

Apparet in hoc opere Spiritus fortitudinis, quo inter procellas aeræ potestatis, et tempestates sæculi, jam fidei lumine vivunt, jam spe proficiunt, jam charitate persistunt. Hi quoque in hoc beati sunt, quia esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth. v, 6*), quia panem nostrum quotidianum semper vivum, semper integrum in altari Dominico pie degustant.

CAPUT VI.

Post acolythos exorcistæ sequuntur, qui ab episcopis consecrantur. Exorcistæ benedictio pontificalis imperatores facit, non emolumentum terreni, non potentiæ carnalis, sed ex virtute Dei, qua Satanam, et omnem nequitiam ab energumenis et quibusque dæmoniacis, invocato nomine Jesu præmissa oratione facta ex sufflatione, propellunt; ut ad baptismi sacri gratiam, et ad percipienda sacramenta pervenire valeant.

Apparet in hoc opere Spiritus scientiæ, ne hoc sibi attribuant, ne inde superbiant, sed sciant quid fuerint per naturam, quid meruerint per culpam, et quid ipsi ab episcopo consecrati possint facere per gratiam. Sunt beati qui lugent suos in quibus antefuerant a bono defectus (*Matth. v, 5*), ad mala prolapsus, sed consolantur in Domino Jesu Christo, qui eos a malis eruit, et imperatores super Satanam, ad propellendam ejus nequitiam potenter effecit.

Bene igitur bene isti primum pro seipsis misericordia superna redemptis, deinde pro illis, quos potestate sibi a Deo collata eruunt a dæmonum nequitia, humiliantur sub potenti manu Dei, dicentes voce supplici: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth. vi, 12*). In hoc Spiritu scientiæ eis præsto est quod, licet pro officio sint imperatores, sciunt tamen pro fragilitate sua esse peccatores.

CAPUT VII.

Post exorcistas lectores ab episcopis benedicuntur, ut in Ecclesia Dei legant, jubente episcopo, vel in præsentia sua, vel alibi legant verba Veteris ac Novi Testamenti, legant more solito, tempore statuto, et loco congruo, protestantes sacras novi ac veteris instrumenti paginas, et Patrum agiographa, in unum Dominum nostrum Jesum Christum consona et completa; et ea debita veneratione semper audienda, pro tempore servanda.

Apparet in hoc opere Spiritus pietatis, dum non typo superbiæ, non elatione jactantiæ, non astu maligno, non fastu hæretico præsumunt legere, audent exponere, sed pio intuitu, Catholico ductu Scripturas non suo sensui, imo sensum suum applicant Scripturis. *Beati miles*, isti quoniam possidebunt terram (*Matth. v, 4*), ab aquis et fluctibus maris, ab initio segregatam, hoc est solidam veri-

tatem ab erroribus et errorum fluctibus sequestratam. Hæc ut evadant et liberi stant hanc ad Dominum humilem effundunt precem : *Et ne nos inducas in tentationem* (Matth. vi, 13)

Habentes itaque Spiritum pietatis sunt mites in pronuntiatione veritatis, evitantes laqueos tentationis et proficiunt in Scripturis.

CAPUT VIII.

Post lectores estuarios ponunt pontifices, ut, accepta benedictione, fores Ecclesie diligenti cura custodiant, et fideles ad servitium Dei certis horis, sono competenti venire commoneant. Hi pro officio suo eos intromittunt quos Catholicos esse cognoscunt, non credentes excludunt, quos irrisores vel esse perturbatores sentiunt. Illos etiam valde rejiciunt, quos ab episcopi communione privatos esse pro certo noverunt.

Apparet in hoc opere Spiritus timoris Domini, qui beatos pauperes spiritu facit (Matth. v, 3), quo suscepto, ostiarii a regno Dei, quod est Ecclesia Christi, secludunt malos a bonis. Hoc fieri jam in presenti, et compleri penitus in futura orantes, petunt a Domino, et dicunt : *Libera nos a malo* (Matth. vi, 13). Spiritus iste timoris Domini castam et humilem facit et sapientiam introducit. *Initium*, inquit, *sapientie timor Domini* (Psal. cx, 10). Timor iste Domini non est servilis, non est peccati, sed charitatis, quæ libera servit. Hec ostiarius accipit, ut liberetur a malo, et pro paupertate spiritus recipiat regnum Dei.

CAPUT IX.

Attende qui legis, si habes Spiritum Dei, qui claudem scientiam gerit, claudit, et nemo aperit, aperit, et nemo claudit; attende hos septem gradus; has septem columnas, ore sapientie Dei, per manus episcopi ordine distinctas, benedictione firmatas, sacramentis ornatas. Has septem episcopus septem orationis precibus elevat, septem donis sancti Spiritus affirmat, septem beatitudinum honore cumulatur. Prætaxatas septem preces istas Jesus Christus edocuit plenas et perfectas, deditque pro sua magnificentia septem sancti Spiritus dona mirifica, et septem beatitudines suis fidelibus in æternum largitur. et ultra, septem istis precibus septem dona sancti Spiritus impetrantur; septem donis illis septem beatitudines acquirantur. Fides in precibus, spes in donis, charitas in beatitudinibus pariter assignantur; in precibus studium, in donis præmiam, in beatitudinibus gaudium; si pie quaeris civitatis invenis. Talibus inquirendis admodum intendamus, et super has septem columnas septem diebus feliciter impleamus.

Ecce pro septem precibus, pro septem donis, pro septem beatitudinibus vere beata es mater Ecclesie, sacramentis plenissime divinis uberrima in te solventur peccata, præstatur venia, donatur gratia. Tua quidem sunt omnia, tuus est enim qui fecit omnia. Te summa sapientia semper inhabitat, et bonis omnibus locupletat. Bona tua benevolentia

preparat charitas dispensat. Ministri tui sunt episcopi provisores strenui, tutores fortissimi. Ex te tibi generant filios fortes et ingenios; ex his quos approbant, eligunt et exaltant; ex his creant septem gradus honoris, septem columnas fortitudinis, quas septem precibus Dominicis consecrant, septem donis sancti Spiritus illustant, septem beatitudinibus glorificant. Hæ septem columnas et Ecclesiam Dei sustentant, et perpetuo splendore clarificant.

Columnas tales per episcopos ordinari Dominus Jesus Christus instituit, et septem gradibus designavit. Ipse etiam in seipso tenens gradus istos proposuit auctoritate sua tenendos.

CAPUT X.

Magnus iste noster ostiarius et semel et iterum de templo Dei vendentes et ementes ejecit; beate latroni in cruce pendenti, sed contenti, sed misericordiam postulanti, paradysum aperuit (Luc. xxiii, 43). Ego, inquit, sum ostium, si quis per me introierit salvabitur (Joan. x, 9). Ipse potentis virtute portas inferi confregit, et suos inde liberos eduxit: tunc velum templi seissum est medium, et reserata sunt Sancta sanctorum (Matth. ii, 11). Et resurgente apertum est sepulcrum, et terra meta est, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et abscondita apertam est cælum nunc et in æternum.

Magnus quoque lector noster Dominus Jesus semper fuit, qui Verbum Dei Deus apud Deum simul omnia loquitur, et scripsit in libro vite vero caractere qui legem decreti primo homini in paradiso dictavit. De lectore isto Apostolus ita dicit: *Multifarius, multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et sæcula* (Hebr. i, 1, 2). Lector iste pro muliere in adulterio deprehensa digito in terra scribebat, et dicebat: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat* (Joan. viii, 7). Ibi digito suo in terra scribebat, qui olim duas tabulas lapideas, digito suo scriptas, semel et iterum Moysi dedit (Luc. iv, 17). Huic lectori tandem in medio synagoga datus est ad legendum liber Isaie propheta; in eo legit, et libro reddito, quod legerat exposuit, et capitulum prophetia manifeste in seipso, et de seipso vere dictam, et vere completam docebat.

Magnus quoque noster exorcista Jesus Christus existit, qui Satanam tumentem, et super aquilonem regnare volentem, solo respicientis imperio virtutis tauditus obruit, qui patres nostros transgressores a paradiso deposuit. Imperator iste noster ductus in montem excelsum, Satanam illum testatorem vetustum. Idololatras prius protulit, et dixit: *Vide retro, Satana, serpens es et cadas: Dominus Deus tuus adorabis, et illi soli servies* (Matth. iv, 10). Demones etiam illos, quibus nomen erat legio, et in parvos misit. Opera quidem

hujusmodi quam talia invenis, cum Evangelia perlegis.

Magnus vero noster acolythus erat Jesus Christus ubi ait; *Fiat lux, et factam lucem deiecit a tenebris* (Gen. I, 3); et de seipso dicit: *Ego sum lux mundi* (Joan. viii, 12). Lux ista lux est vera, de qua sic ait Evangelista: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. I, 9), Acolythus iste in columna ignis Israel ab Ægypto usque in terram promissionis mirifice perduxit. His etiam quos in carne veniens illuminabat, ita dicit: *Ambulate dum lucem habetis* (Joan. xii, 25). Et: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* (Matth. v, 16). Super hoc noster acolythus ita præcipit: *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris* (Luc. xii, 35).

Magnus insuper subdiaconus noster Jesus Christus, omnium potentissimus; filiis Israel in deserto per quadraginta annos manna de cælo præsentavit (Deut. ii, 7). In torrente Carith pavit Eliam multo tempore pane et carne, corvo ministrante (III Reg. xvii, 3, 15). In Cana Galilææ, aquis in vinum versis, convivas lætificavit (Joan. ii, 4). In cœna paschali aquam misit in pelvum, et pedes discipulorum subdiaconus humiliter lavit, et linteo quo erat præcinctus extersit (ibid., 13).

Magnus idem diaconus noster Jesus Christus, qui attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (Sap. viii, 4). Ipse disposuit per manum Moysi et vitæ sacrarum, et officia ministrorum. Qui sub moribus nature, sub legis moderamine, sub remedio gratiæ, ab ipso mundi usque ad finem sæculi, Ecclesiam suam mira dispensatione producit. Ipse Levita mirificus in cœna paschali, ut de veteri novum faceret, ut ex figuris veritas appareret, semper vivam proposuit escam. Ipse quidem in cruce positus matrem suam, et discipulum quem diligebat, sub charitatis cura pie disponebat, dicens: *Mulier, ecce filius tuus*. Ad discipulum autem: *Ecce mater tua*. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam (Joan. xix, 26, 27). Filius in matrem a Levita summo sibi delegatam. De hoc discipulo respondit Dominus Petro, dicens post resurrectionem suam: *Sic eum volo manere donec veniam* (Joan. xxi, 23).

Magnus presbyter noster Jesus Christus, qui corpus et sanguinem suum propriis manibus suis, de pane et calice, in illo sacro convivio fecit, et discipulis suis sumenda tradidit, absque omni ambiguitate, simplici veritate. *Hoc est, inquit, corpus meum, quod pro vobis tradetur* (Matth. xxvi, 26). *Hic est sanguis meus qui pro vobis fundetur* (Marc. xiv, 23), *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. xxii, 19). De hoc sacramento corporis et sanguinis sui, et de omnibus Ecclesiæ sacramentis, eorumque ministris discipulos suos plene perdocuit: discipuli sicut a Domino susceperunt, sic et suis tenenda de-

derunt et posteris pari forma jugiter observanda mandaverunt.

Magnus iste pontifex et episcopus noster, passus in cruce pro mundi salute, seipsum pro nobis obtulit Deo Patri hostiam sanctam, vivam, plenam et perfectam; affligens cruci nostræ chirographum damnationis, delens in ea nostra omnium peccata, tam ex origine traducta, quam propria voluntate superposita: ejus sacerdotium ab æterno permanet in æternum. Hic ab initio mundi, simul creatis omnibus et completis, præsulatu supereminenti benedictionem dedit, et sanctificavit diem suæ quietis, in quo semper apud semetipsum ab omni opere quod fecit, ineffabili perpetuitate quiescit. Ad hanc suæ quietis beatitudinem, novem illos supernorum civium ordines, Satana cum suis ejecto, pontifex pius charitatis manibus elevavit; et nos miseros peccatis sordidos, criminibus fædos, ineffabili miseratione respexit. Ipse quidem ad nostras tenebras lux vera descendit, missus a Patre Deus homo factus de virgine, semen Abraham datum ex promissione, in quo benedicuntur omnes gentes in plenitudine siæ sine fine.

Summus iute sacerdos omnia peccata nostra tulit in corpore suo. Saper hoc Isaias: *Vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra* (Isai. liii, 6). Unde et per eundem prophetam Pater Deus de Filio suo sic attestatur: *Propter scelus populi mei percussus est cum* (ibid., 8). Et propheta: *Dominus pesuit in eo iniquitatem omnium nostrum* (ibid., 7). *Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus* (ibid., 5). Et ipse Pastor bonus in Evangelio dicit: *Ego ponam animam meam pro ovibus meis* (Joan. x, 15). De hoc alibi: *Potestatem, inquit, habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* (ibid., 18). Posuit eam non pro se, sed pro nobis in cruce moriens; iterum eam sumpsit a morte resurgens: prout voluit ita fecit. *Cum enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, ut ait Apostolus, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen; quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genua flectatur, cælestium, terrestrium et inferorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris* (Philip. ii, 6-10).

Ex hoc cernimus adimpletum quod ei dicitur in Canticis canticorum: *Unguentum effusum nomen tuum* (Cant. i, 2). Salomon autem dicit: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti* (Eccle. x, 1). Ab ortu solis usque ad occasum, a summis cælestium usque ad ultimas tenebras inferorum, nomen Christi ubique est effusum in odorem vitæ omnibus qui salvi sunt. De hoc Psalmistu canit: *Exultavit ut gigas ut caperem viam a summo cælo egressio ejus; et occursum ejus usque ad summam ejus: neq-*

est qui se abscondat a calore ejus (Psal. xviii, 6, 7). Calor iste vivificat sanctos, exurit impios, necat hæreticos.

Itaque triumphator excelsus, et pontifex gloriosus, a sede majestatis copiosa benedictione Spiritum sanctum effundit, et muscis morientibus, hæreticis scilicet cariosa improbitate vana quæque se-

stantibus, cum errorum tenebris longe lateque dispersis et perditis, super humiles et quietos descendit unctio cœlestis, ad laudem et gloriam ejusdem Domini nostri Jesu Christi, cujus regnum et imperium, summumque sacerdotium permanet in æternum, et in omnia sæcula sæculorum.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Suavis Dominus universis; et miserationes ejus super omnia opera ejus (Psal. cxliv, 9). Suavis est Dominus, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (Sap. viii, 1). Dixit, fiat, et factum est (Gen. 1). Vidit factum, et bonum est. Dixit fiat, verbum est in æternitate, et factum est, processit creatura cum tempore. Vidit factum, respectus est benevolentiae conditoris: et bonum est, ecce magnificentia divini muneris. A summis usque ad infirma, si bene perspicias, vides omnia beneficiis ditata supernis. Suavis est Dominus iste, et misereri non desinit. Quia facit solem suum oriri super bonos et malos; et pluit super justos et injustos (Matth. v, 45); Sed miserationes ejus sunt super omnia opera ejus (Psal. cxliv, 9). Opera quidem ejus dum attendis, si sapiens es, non obstupescis. Omnipotens Deus omnia quæcunque voluit fecit: et non est qui possit ejus resistere voluntati (Psal. xliii, 11).

Pacificum tenet regnum suum, regnum omnium sæculorum (Psal. cxliv, 13). Deponit potentes, exaltat humiles (Luc. i, 32). Prævaricatores angelos nutu solo propulit e cœlo; inobedientes primos parentes nostros deposuit a paradiso. In Ecclesia præsentis exilii perdit a cœtu fideli vasa mendacii, auctores sceleris, defensores hæresis. In omnibus istis et super omnia ista miserationes ejus aspice præeminentissimas, et pie considera, quia, ut homines fiant dii, Deus homo fieri voluit. Miro quidem modo facit de immundis mundos, de fœdis pulchros, de indignis dignos, de peccatoribus justos, de malis bonos, de pessimis sanctos, de miseris beatos: hæ sunt miserationes ejus super omnia opera ejus. Sub isto omni misericordie pacifico rege, præcellenti pontifice, in cœlis novem ordines angelorum pro humilitate sua charitatis implent officia, a Deo quidem mittuntur, nec ab eo separantur. Semper ei assistunt, quem semper diligunt.

In terris sub eo, et per eum, pontificalis auctoritas septiformis gratia sancti Spiritus perornata, septem gradus ministrorum promovet in Ecclesia sub clericali corona, cum obedientiae disciplina, ad peragenda divina mysteria. Principes quoque et potestates manus Altissimi benigne dispensat. De hoc

Apostolus dicit: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit (Rom. xiii, 2). Et Petrus: Subjecti, inquit, estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive regi quasi præcellenti; sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum (I Petr. ii, 13). Et sicut Daniel attestatur: Altissimus dominatur in regno hominum, et cui voluerit dabit illud (Dan. iv, 14). Inter omnia autem regna mundi corona clericali clarius elucescit, quorum vita cæteros illuminat; quorum doctrina alios ad vitam vocat, ut transitoria deserant, et æterna bona concupiscant, ut errores caveant, et Christi bono odore vivant.

CAPUT II.

De hac corona clericali, de hac forma regali, de hoc signo Jesu Christi hæretici quæstionem faciunt, maxime illi qui a clero deciderunt, et ad hæresim transierunt. Unde, inquit, unde corona hæc accepit initium? Quid nobis et coronæ huic?

Ad hoc non eis, quia impacatis, sed catholicis respondemus. Redemptor sane noster et Salvator, nos miseros peccati servitute depressos, morti addictos, Satanae vinculis astrictos, misericordia motus noster Samaritanus qui sine peccato est, pro nobis peccatum factus est, hostia pro peccato Redemptor noster oblatus est, pro nobis pœnam peccati suscepit, et crucem pertulit in corpore suo, mortem moriendo destruxit magnificus triumphator portans spineam coronam in capite suo. Ex hac Domini Jesu corona pro peccatis nostris, a Redemptore nostro suscepta, toto mundo regnare cepit mater nostra præsens Ecclesia, sponsa crucifixi, sub spinea corona potestates aereas debellantis. Sub hac Redemptoris nostri corona triumphat Apostolus, et clamat: Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, et ego mundo (Galat. vi, 14). De hoc regno crucifixi nostri Domini Jesu responsum in Evangelio legitur: Nonne hæc oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam? (Luc. xxiv, 26). Et alibi: Empti, inquit, estis pretio magno, glorificate, et portate Deum in corpore vestro (I Cor. vi, 20).

Antiqui quam sæpe referunt historiographia victoribus superatos et captos sub corona fuisse venditos. Venditio talis manifestum erat indicium ser-

vilis opprobrii. Ita et noster Christus pro peccatis nostris venditus, et captus, in cruce sub spinea passus est corona. Hæc indebite a Domino suscepta, debitam nobis coronam damnationis potenter effregit, et coronam victoriæ suæ, coronam libertatis nostræ, coronam gloriæ sempiternæ, nobis redemptis suis, et sanctificatis, triumphator egregius superapposuit.

Propterea Catholica mater Ecclesia quosdam inter se de suis fideles elegit, quibus fidei pro firmitate, pro vitæ honestate, pro splendore scientiæ, gratanter imponit similitudinem coronæ Christi, raso de super capite, capillis in rotundum servatis, ex æquo tonsoratis. Hoc coronæ signum ad memoriam Christianæ libertatis assumptum, non passim, sed electione quæsitum, pontificali benedictione signatum, ab apostolis sumpsit exordium, et toto orbe sub apostolica auctoritate stat in Ecclesia conservatum. Corona hæc tonsuræ clericalis servatur in habitu religionis absque macula criminis.

Omnes hujusmodi pro signo cœlesti, et gratia benedictionis, communi nomine vocantur clerici, quia Dominus pars eorum est, et ipsi pars Domini prærogativa speciali pro signo sanctitatis. Ex his aliqui proprietate rejecta suas simul habent communia in unitate canonica, tam regulares clerici, quam cœnobitæ monachi. Aliqui vero singulares nuncupati, servitio Ecclesiæ deputantur, et quia canonicas simul in Ecclesiis, horis statutis, laudes Dei persolvunt, etiam canonici nominantur: præbendas tamen suas dividendo partiuntur: et hi si bene vixerint merito collaudantur, et honoribus cœlestibus pro vita et scientia rite sublimantur.

Omnes denique clericali corona signatos, in quocunque habitu, si tamen religioso, si bona conversatione decorato, episcopalis auctoritas cum opportunum viderit, et utile fore cognoverit, ordinat in gradibus ecclesiasticis, et animarum curam eis imponit quandiu in seipsis coronam Domini et moribus exaltant, et vita glorificant.

CAPUT III.

Hæc ita diximus, quia quosdam videmus portare coronam Christi non Christo, sed sibi, et in habitu religionis non virtutes quærere, sed quæstus facere: non contenti suis, inhiant alienis, simulantes se non habere propria nimia ambitione sua rapiunt inconcessa. Quidam etiam, rejecta verecundia, pervadunt jura episcopalia, freti falsis inductionibus et perversis consuetudinibus. Insanis istis veritas contradicit: *Ne transgrediaris, inquit, terminos, quos posuerunt patres tui (Prov. xxii, 28)*. Econtra sæviunt et terminos sibi a patribus præfixos rapido pede transiliunt, oculos a cœlo deponunt, resurrectionem futuram etsi fateantur, nullatenus credunt; *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant (Tit. i, 16)*; post concupiscentias suas eunt et sibi vivunt (*Eccli. xviii, 20*).

Epicureos tales, seu vanos simulatores, ab erroribus suis revocare nemo hominum potest, qui po-

test omnia, solus potest. Talibus inelamabat Psalmista, et dicebat: *Filii hominum usquequo gravi corde; ut quid diligitis vanitatem. et quæritis mendacium? (Psal. iv, 3)*. Statimque proponit eis cui credere, et quem debeant sequi, dicens: *Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum; Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum (ibid., 4)*. Sanctum istum mirificavit Dominus patriarchis per oracula præsignatum, prophetis præostensum in plenitudine temporum, ex Spiritu sancto de virgine natum, Deum et hominem unum Jesum Christum. Hunc angeli pastoribus; hunc stella dixit regibus; hunc in monte sancto glorificatum ut summi Patris unigenitum, Petrus, Jacobus et Joannes videre meruerunt. Iste victor ab inferis, vivens a mortuis mirifice surrexit, in seipso gloriam veræ resurrectionis præmonstravit.

De hac gloria resurrectionis nostræ, de vita beatitudinis æternæ quam multi, sed infideles, dubitant, et dubitando quæritant pro vanitate sua, quod idem Psalmista pro eis clamat, et dicit ita: *Quis ostendit bonis bona? (Psal. iv, 6)*. Scimus, inquiunt, ista bona præsentia, hæc bona temporalia. Nescimus ea, quæ dicitis æterna, quæ dicitis bona, sine carentia.

Respondit contra Psaltes ille propheta, exsultat ad Deum, dicens ita: *Signatus est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiâ in corde meo (ibid., 7)*. Secundum lumen vultus sui Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam fecit. Habet homo pro imagine Dei æternitatem, pro similitudine Dei beatitudinem. Hoc utrumque bonum æternitatis et beatitudinis dedit Deus homini, quem ad imaginem et similitudinem suam fecit (*Gen. i, 26*). Hoc hominis bonum insigne et præcipuum fecit Deus, qui est lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan. i, 9*). Unde bene concinit Psaltes ille dicens: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine (Psal. iv, 7)*.

Pro imagine quidem Dei, quam nec in malis homo perdidit, necessario resurget in fine mundi, in resurrectione generali, ut imago respondeat suo plasmatori, et appareat utrum ejus similitudinem, ad quam factus est, bene vivendo servavit. Ibi miser homo, qui, amissa similitudine Dei, peccati fœditatem incurrit, si surrexerit absque peccati remedio, tanquam dissimilis recedet a Deo, æterno damnatus elogio. Miser iste inventus non in veste nuptiali, absque indumento similitudinis Dei, hoc est absque gratia charitatis, cadet a lumine vultus Domini, datus exterioribus tenebris. Miser iste dum tempus habuit, non quæsivit illum quem mirificavit Dominus sanctum suum, qui est misericordia nostra et refugium. *Exaudiet, inquit, me cum clamavero ad eum (ibid., 4)*: sanctus itaque mirificatus noster iste, qui exaudit clamantes ad se, eosque a peccatis absolvit, a morte redimit, et per gratiam sancti Spiritus similitudinem suam reparat

in eis, et resurrectionis suæ participes facit. Unde Psalmista ita concludit: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (Psal. iv, 9). Hoc expectabat beatus Job, et dicebat: *Scio quod Redemptor meus vivit et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt, et non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo* (Job. xix, 25-27). Hinc Veritas in Evangelio: *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt in resurrectionem iudicii* (Joan. v, 28, 29). Et alibi: *Hæc est, inquit, voluntas Patris mei, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die* (Joan. vi, 29).

Si Evangelia perlegis, si apostolos, si prophetas inquiris, de resurrectione beata sanctorum, de resurrectione communi omnium qui fide vivis, dubitare non poteris. Fide vivis, si tenes justitiam fidei: scriptum est enim: *Justus ex fide vivit* (Rom. i, 17); ex fide namque est justitia, et ex justitia vita. Ut igitur vivere possis, offer Deo, qui vita est, justitiam fidei. Hæc oblatio, hoc sacrificium placet ei, qui vita est, et vitam tribuit. Admonet hoc Psalmista qui dicit: *Sacrificate sacrificium justitiæ* (Psal. iv, 6). Hoc autem sacrificium justitiæ, quia est ex fide, sequitur spes vitæ æternæ. Unde cum dixisset: *Sacrificate sacrificium justitiæ*, adjecit continuo, *et sperate in Domino*. Spes ista non est inanis, non est vacua, sed completa, quia plena in Deum charitas ei omnia conservat, et eam copiosa manu remunerat. Pro spe ista exultabat in gaudio dicens: *Dedisti lætitiæ in corde meo* (ibid., 7), non in temporalibus, sed in Deo. Alii, inquit, a fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt (ibid., 8). In his sperantes lætantur, et pereunt. Ego autem ista prætereo, et in Deum spero. Sed quo fructu, quo præmio? Ait: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (ibid., 9). Sancta dormitio in pace, quæ semper est beata, quiescit in charitate plena quæ Deus est. Extra Deum non invenies idipsam, si non habes idipsum, tendis in nihilum, a bono deficis, et cadis in malum.

Eapropter tu qui ad imaginem et similitudinem Dei conditus es, attende teipsum, clama ad Deum. Per fidem accede, offer sacrificium justitiæ; renovare per sacramenta, ut his emundatus, bis purificatus offeras digne sacrificium justitiæ. Sic in Deo poteris sperare, poteris mutabilia transire, poteris in pace in idipsum dormire, in resurrectione beata quiescere. Ibi, tu homo, qui ad imaginem et similitudinem Dei conditus es, eris Deo similis, quia videbis eum sicuti est. Testatur hoc evangelista Joannes: *Similes, inquit, ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (I Joan., iii, 2). Tunc similitudo Dei erit integra in hominibus sanctis, quos ad imaginem et similitudinem suam Deus fecit.

A Hæc erit gloria resurrectionis eorum omnium qui membra sunt Christi, qui dicit: *Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit; vivet; et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum* (Joan. ii, 25, 26).

Proinde quia resurrectionem nullatenus diffiteri debent qui rationales sunt, et Deo credunt, quæstionem tamen super hoc faciunt, et ita proponunt. Videmus hominum corpora aliquando scissa, et distracta, vel a bestiis, et avibus asportata, et devorata, insuper et in pulvèrem redacta, quandoque et in aerem exsufflata, nullatenus ista recolligi possunt, ideoque recompaginari nequeunt, et ipsa eadem mortuorum corpora minimè resurrectura sunt. Respondemus et incunctanter dicimus: Si resurrectio humanorum corporum fieret hominis opere, vel cujuslibet creaturæ, possent ista, et his similia, patenter opponi, nec facile solvi; sed recte credimus, et vere fatemur quia manus Domini, manus omnipotens, omnia colligit et nulla perdit, omnia continet, et extra se nihil quærit. Humana itaque corpora quantumcunque dispersa tenet simul omnia, novit singula, et ea in momento, in ictu oculi, prout vult, reparat universa. Non est ergo quærendum quare, vel quando humana corpora condidit, nec qualiter, vel ubi ea in resurrectione reparabit, quia omnia simul et singula, pro omnipotentia, pro plena scientia, pro voluntate quieta disponit, ordinat, producit, et nutu suo tenet universa.

CAPUT IV.

C In ejus manu tenentur omnia cœlestia et terrena. spiritualia et corporalia, bona pariter et mala: bona pro conditore, pro natura, pro gratia. Mala pro defectu, pro negligentia, pro nequitia. Et miro modo ipsa quæ dicimus mala, bene sunt disposita, sibi pessima, bonis utilia, summa dictante sapientia, quæ Ecclesiam suam posuit inter mala, provehit inter scandala, levat inter adversa: *Super maria fundavit eam, ei super flumina præparavit eam* (Psal. xxiii, 2). Ut arcam in diluvio, ut Israel in mari Rubro, ut tres pueros in igne Babylonico: ita quoque sunt in Ecclesia Dei virgines, sunt continentes, sunt et conjuges. Virgines pro integritatis gratia gloriantur; continentes pro certamine victorioso lætantur; conjuges pro sacri connubii remedio consolantur; conjugalis quippe castitas sub benedictione sacerdotis, remedium est contra incentiva carnis, contra libidinem fornicationis. Est autem in conjugio fides, quæ thalamum servat, ne iste cum alia, nec cum alio illa. Inde proles honesta suspicitur, decora servatur, hæreditaria benedictione ditatur.

Est etiam in conjugio sacramentum, si singulare manserit, quod est unum. Sacramentum hoc, dicit Apostolus, quia *magnum est in Christo et in Ecclesia* (Ephes. v, 32), unitate singulari atque perpetua. Conjugium namque Christi et Ecclesiæ unum et singulare, cœpit quidem ex tempore, sed permanet in æternitate. Ab exordio rerum, ab origine tempo-

rum, formata legitur mulier de viri costa; unde et virago est appellata. *Hoc nunc, inquit, os de ossibus meis, et caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen. ii, 23, 24*). Data est in paradiso lex ista conjugii, quæ extra paradysum etiam post peccatum rata permansit. Pro lege ista tempore diluvii bina et bina, masculum et feminam de animantibus Dominus in arca servavit. Justus Noe rex arcæ, ibi cum uxore sua fuit, et tres ejus filii cum singulis uxoribus suis. Simplex conjugium in paradiso statutum est, simplex conjugium in arca diluvii servatum est.

Lex ista conjugii, tam justa, tam sancta est, ut etiam ipse mundi conditor, ipse humani generis redemptor, cum caro fieret de carne virginis, non ex virgine simplici, sed ex sponsata concipi et nasci voluerit. Idem ipse in Cana Galilææ miraculo facto de aquis in vina conversis, nuptias consecravit (*Joan. ii, 1*). De hoc sacro conjugii vinculo postmodum ipse præcipit, dicens: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth. xix, 6*). Hujus sanctorum conjugii divinitus instituti in paradiso, servati in diluvio tenet Ecclesia sub Christo.

Quoties vero decedente altero, more debito conjugium fuerit iteratum, semper quidem est bonum si fuerit unum. Sed pro iteratione jam non est singulare, nec habet sacramentum cœlestis conjugii unius et singularis, quo Christus junctus est Ecclesiæ perpetua stabilitate. Quisquis itaque iterando conjugium de unitate transit ad numerum, de singulari ad plurimum, jam non in se repræsentat sacrosanctum Christi et Ecclesiæ conjugium, quod singulare permanet in æternum. Eapropter homo iterati conjugii exinde non habet promoveri in gradibus ecclesiasticis, nec episcopus consecrari. Attamen ejus conjugium quotiescunque compari decedente fuerit iteratum, si legitime contractum, reputatur bonum, tenetur honestum. Istam conjugii honestatem illi siquidem non tenent, qui mulieres absque lege conjugii suo consociant lateri. Super hoc Ecclesia eos arguit, et auctoritate qua præeminet, indicit, quatenus aut fornicarias tales amoveant, aut easdem si licuerit, vel alias, legitima traductione conjugii Christiano more, suscipiant. Ecclesia Christi fornicarios abjicit, impudicos percutit, incestuosos evertit; honorat conjuges, amat continentes, exultat virgines.

Econtra stant hæretici, resistunt Ecclesiæ, nolunt audire, nolunt acquiescere, tenent secum mulierculas undecunque conductas, non sub lege conjugii, non sub debito consanguinitatis, sed sub contubernio privatæ libidinis. Dicunt se communem in domiciliis suis vitam ducere, et more apostolico secum mulieres habere. Proponunt quia Paulus ait: *Nunquid non habeo potestatem circumducendi mulieres, sicut Cephæ et alii apostoli* (*I Cor. iv, 5*). Igitur et nos formam apostolicæ vitæ servamus, qui mulieres non abjicimus, qui in eodem domicilio,

A in eadem mensa eas nobiscum licite colligimus.

Sed his taliter obloquentibus, et suæ latebras incontinentiæ falsitatis umbra tegentibus, respondent Catholici, protestantur episcopi, dicentes: Apostoli Domini nostri Jesu Christi, ejusque discipuli sanctas mulieres illas quas ante conversionem suam legitime susceperant, et sub conjugali vinculo decenter habuerunt, eas quoque postquam discipuli Domini facti sunt, debita procuratione servabant; ita ut de uxoribus sorores fierent, et religiosa devotione non carni, sed Domino deservirent; et illas nimirum quæ eorum matres, aut filiæ, vel hujusmodi fuerant, justa deliberatione retinebant, et sanctæ illæ, quæ de Galilæa venerant, Domino de suis aliquando ministrabant. Vos itaque si, ut præ tenditis, apostolos et in hoc sequi, et sanctos cujuscunque temporis imitari satagitis, amodo mulieres illæ, quas vobiscum facitis habitare, sint sponsæ vestræ sub sacerdotali benedictione, publica attestatione; sin etiam vobiscum, si placet, et illæ, quas pro sanguinitatis linea debetis honorare, et irreprehensibili cura protegere, absque fornicationis dedecore, vel incestuosa fœditate. Sic itaque pro Christiana consuetudine mulieres vobiscum, si libet, habetote, aut legitime desponsatas, aut consanguinitate proxima, in conversione sancta, ut, si quando mater Ecclesia aliquos ex vobis elegerit, quos levitas, vel presbyteros, sive pontifices sublimandos adjudicaverit, hos absque reprehensione fieri possit, et tunc quas legitimas habetis uxores, toro separato, manebunt vestræ sub castitatis honore sorores. Taliter agentes manebitis irreprehensibiles, honesti et utiles. Morem hunc tenendum in Ecclesia Patrum sancivit auctoritas, et sancitum servare suscepit eorum sancta posteritas.

Conjugalis sane castitas in principio legitur instituta. Opera vero conjugii post peccatum, et extra paradysum novimus insecuta. Ejectis namque de paradiso primis parentibus nostris, legimus quia Adam cognovit uxorem suam; factique sunt duo in carne una (*Gen. iv, 1*). Copula siquidem ista duorum in carne una, si absque conjugii remedio fuerit usurpata, fœditas esse reputatur, et fornicatio communi nomine nuncupatur. Hoc Apostolus abhorrebat, et a tali contagio Christianum quemque revocabat, dicens: *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Abstul!* (*I Cor. vi, 15*). Legitima sane fœdera nuptiarum si ad unitatem carnis usque perveniunt, exinde vir, cum in cæteris dominetur, non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Et in invicem vir et mulier lege pari dominantur in suæ debito carnis. Porro judicatur vir adulter si fuerit cum alia, et mulier si cum alio fuerit judicatur adultera: hac de causa potest dimittere vir uxorem, et uxor virum si non teneant conjugii torum, nec tamen ideo solutus est vir a lege uxoris, nec uxor a lege viri, quandiu alter eorum vivit: unde oportet aut viro reconciliari eam, aut manere in nuptam, et virum aut reconciliari suæ, aut continere,

Altero eorum defuncto, qui supervixerint, nubat cui voluerit, tantum in Domino.

Proinde si fuerit accusatum, et ordine judiciario comprobatum quod in linea consanguinitatis septimo gradu, vel infra, fuerint combinati, oportet eos auctoritate apostolicæ sedis ab invicem separari; sicut pro consanguinitate generis, sic et pro affinitate consanguinitatis. Nec enim illa viri sui defuncti consanguineum potest accipere, nec ille uxoris suæ consanguineam sibi sociare.

CAPUT V.

Sciendum autem quia neque monachi, neque canonici, nec aliqui coram Ecclesia publice castitatem professi, conjuges possunt fieri. Quod si secus agere tentaverint, incubones reputantur et fornicarii. Hujusmodi lapsos pro voto fracto mater Ecclesia condemnat, pontificalis auctoritas communionem privat. Ex his impudenter aliqui prouunt, et hæreticos pro se litigantes asciscunt, qui nobis Apostolum tumultuosa loquacitate proferunt, ubi ait: *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro* (I Cor. vii, 2, 3). Et paulo post: *Dico autem non nuptis, et viduis: bonum est illis si sic maneant sicut et ego; quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri* (ibid., 8, 9). Ecce, inquit, ecce Apostolum, audite illum. Sic autem ab initio novimus homines creatos a Deo, quod masculinum et feminam fecit eos, et benedicens ait: *Crescite et multiplicamini* (Gen. i, 28). Quod utique fit ex copula carnis. Habeat ergo propter naturæ debitum, et juxta Apostolum unusquisque suam, et unaquæque suum.

Talibus occurrunt Catholici, respondent episcopi, ipsum Apostolum ita loquentem adducunt: *Qui, inquit, adhæret Domino, unus Spiritus est* (I Cor. vi, 17). Ac deinceps: *Volo autem vos sine sollicitudine esse: qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. Et mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Domino obsequendi* (I Cor. vii, 32-35). Ex his Apostoli verbis respondemus potissimum nostris sane fidei non contentiosis, sed his qui exercitatos habent sensus ad capessenda quæ veritatis sunt, ad exsequenda pariter omnia, quæ a Deo mandata sunt.

Doctor gentium in fide et veritate Paulus apostolus habet filios, quibus lacte opus est, non solido cibo, quos et in aquis vivere facit in fluctibus mundanæ conversationis, quos modificat in operibus carnis sub lege conjugii propulsata voragine forni-

cationis, cum immoderatæ naufragio libidinis. His dicitur ut sua omnia cum justitia teneant, suis contenti aliena non rapiant, de mammona iniquitatis, de transitorio et fallaci faciant amicos sibi pauperes Christi. *Præterit enim figura hujus mundi* (I Cor. vii, 51). *Transit mundus, et concupiscentia ejus* (Joan. ii, 17). Hi nondum pro Deo sua relinquentes, nondum voluntatem suam Domino devotes, audiunt ab Apostolo, ut contra fornicationum immunditias, si se non continent, unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat, ut opus eorum non imputetur ipsis in peccatum, propter conjugii sub benedictione contracti remedium; et reliqua opera sua condant eleemosyna, regat obedientia, promoveat pietas: proinde Apostolus Christi habet filios ex aquis mundanæ voluptatis ad superiora levatos.

Hi non solum sua reliquerunt, sed etiam se ipsos Domino voverunt, et cum Propheta dicunt: *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me* (Psal. iv, 10). Et: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (Psal. xxiv, 4). *Ut videam voluntatem Domini, et visitem templum ejus* (ibid., 5). Pro hujusmodi a Paulo dictum est: *Qui adhæret Domino unus Spiritus est* (I Cor. vi, 17): unus est utique non divisus. *Volo, inquit, vos sine sollicitudine esse; non quidem sine illa quæ ad Deum est, sed sine illa quæ ad carnem est. Qui sine uxore, inquit, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt hujus mundi: quomodo placeat uxori, et divisus est* (I Cor. vii, 32-33). Divisus est iste, non unus, non singulariter in spe ad Dominum erigitur, sed sub carnis opere religatur. Non centesimo honore cum virginibus gloriatur, non sexagesima continentiae palma lætatur; sed tricesimo conjugii labore fatigatur; et, quia legitime conjunctus est, pro honestate conjugii laudatur.

CAPUT VI.

Tres istos ordines virginum, continentium, et conjugatorum, Ecclesia Christi suscipit, honorat et diligit. Alios autem sine virgineo decore, sine gratia continentiae, sine conjugali venustate, notoria propalatione manifestos, seu publice confessos, vel ordine judiciario convictos, tandem censura pontificali anathematizat, Ecclesiae virtus eliminat. Istitis pereuntibus, soli Noe, et Daniel, et Job liberantur.

Noe siquidem, præcipiente Domino, centum annis arcam fabricavit, et super undas diluvii gubernavit, in qua de omni genere animantium in terra, seu volatiliuum per aera, masculinum et feminam, Domino adducente, suscepit. In hac autem ædificatione diurna, in hac gubernatione tam innumera, tam multifaria; insuper etiam post diluvium trecentis quinquaginta annis genuisse non legitur, sed continens mansisse perhibetur.

Daniel autem de filia Juda in aula regis Babylo-
niorum immaculatus, et sanctus corpore et spiritu

stabat coram Domino Deo suo; immensa præ cæteris ornatus gratia, visionum mysteria et revelationum sacramenta cognoscebat, semper coram Domino quiescens in cœlibatu suo.

Job magnus inter omnes orientales, de quo Dominus ad Satanam : *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, et rectus, et timens Deum; et recedens a malo* (Job. I, 8). Hunc Dominus ut probaret in manu Satanæ dedit, qui ei omnem substantiam suam abstulit, et filios et filias ejus interfecit : quem etiam a planta pedis usque ad verticem ulcere pessimo percussit. Super hæc omnia Domino benedicebat Job, et exprobranti uxori respondebat : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus?* (Job. II, 10.) Dominus autem conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret pro amicis suis. Addidit quoque Job Dominus omnia duplicia (Job. XLII, 10), quæcunque ei antea fuerant, et benedixit novissimis Job, magis quam principio ejus in substantia rerum suarum cum restitutione filiorum et filiarum.

Igitur Noe justus cum universis suæ providentiæ commissis in arca salvatur pro obedientia sua; Daniel sanctus in medio leonum esurientium vivit pro innocentia sua; Job simplex et rectus timens Deum, et recedens a malo eripitur a Satana, et quæ perdiderat plenius habet omnia pro pœnitentia sua. De istis tribus, per quos in Ecclesia Dei tres ordines designantur, virginum, continentium, conjugatorum coram Domino pie viventium ad Ezechielem prophetam, Dominum ita loquitur : *Fili hominis, terra cum peccaverit mihi, ut prævaricetur prævaricans, extendam manum meam super eam, et conteram virgam panis ejus, et immittam in eam famem, et interficiam de ea hominem et jumentum : et si fuerint tres viri isti in medio ejus Noe, Daniel et Job : ipsi in justitia liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. Quod si et bestias pessimas induxero super terram, ut vastem eam, et fuerit invia, eo quod non sit pertransiens propter bestias : et tres viri isti fuerint in ea, vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nec filios, nec filias liberabunt, sed ipsi soli liberabuntur; terra autem desolabitur. Vel si gladium induxero super terram illam, et dixero gladio : Transi per terram illam, et interfice de ea hominem et jumentum, et tres viri isti fuerint in medio ejus. Vivo ego, dicit Dominus Deus, non liberabunt filios; sed ipsi soli liberabuntur. Si autem et pestilentiam immisero super terram illam, et effudero indignationem meam super eam in sanguinem; ut auferam ex ea hominem et jumentum, et Noe, et Daniel, et Job fuerint in medio ejus : vivo ego, dicit Dominus Deus, quia filium et filiam non liberabunt, sed ipsis in justitia sua liberabunt animas suas* (Ezech. XIV, 13-20.)

Omnes ergo qui per istos tres designantur, per Danielelem virgines, per Noe continentem, et per Job conjugem, pro sua justitia salvantur. Cæteri hominum qui de aliquo istorum trium ordine nullatenus

A sunt, vel ab eis apostatando recidunt, mala imminetia atque promerita non evadunt.

CAPUT VII.

Recidentes isti quia vota sua prævaricando deserunt, quia primam fidem irritam faciunt, transgressores deputantur; et si admoniti emendare contemnunt, infames fiunt : Si vero errorem defenderint sibi nomen hæreseos asciscunt. Occurrunt eis Ecclesiæ filii, sanam doctrinam opponunt eis, corripunt insipientes, revocant errantes, frangunt hæreticos, perdunt desperatos. Sequuntur Apostolum dicentem : *Hæreticum hominem post primam et secundam correctionem devota, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit cum sit proprio judicio condemnatus* (Tit. III, 10). Pestes hujusmodi hæretici subversi desperati quanto validius curuunt) tanto profundius cadunt; quem enim non tenet veritas, erroneum protrahit falsitas. Unum, qui Deus est, perdit, et ad infinita descendit. Pro varietate diversorum ei nulla sufficiunt, sed concurrentibus variis, singula perdit. Hujusmodi præcipitia perhorrens Propheta Dominum exorabat, dicens : *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum* (Psal. LXVIII, 16). Aquarum tempestate demergitur quisquis ignorantie nebulis hebetatur: profundo siquidem absorbetur quisquis errorum funibus implicatur. Obturato desuper puteo, mola desperationis protegatur, quisquis hæresum colluvione suffocatur. Verumtamen et hi nequissimi, tam perniciosi quam pessimi, omnipotentis manu disponuntur opificis; comprimuntur ne faciant quanta nituntur, sed quanta facere permittuntur. Tenent suum hoc maligno tempore locum, per eos enim Ecclesia præsens crebrius excitatur, anxiosa probatur, probata firmatur, firmata dominatur. Tandem vero malis penitus exclusis stabit Ecclesiæ Catholicæ regnum solidum, et pacatum toto orbe terrarum, usque ad summa cœlorum, eritque Deus omnia in omnibus (I Cor. XV, 39.) Omnia in omnibus sanctorum voluntatibus, omnia in virtutibus, omnia in bonis omnibus, æternitate continua, beatitudine divina.

Ista non attendunt homines fere mentis intelligentiam non habentes, rebus corporeis plenius intendentes, vere sopita ratione bestiales. Talibus cum nihil de fide, et sacramentis Ecclesiæ valeat, quis ut oportuit intimare pro consilio dicitur, ut non sicut sensus, sed Ecclesiam Dei obediendo sequantur. Respondent illi, et quasi irridentes aiunt nostris : vos qui Ecclesiam Dei sequendam proponitis, dicite nobis, quid est et ubi est, et quare est Ecclesia Dei? Volumus, inquiunt, eam agnoscere, et agnitam invenire, et inventam pro utilitate, si qua est, eam conservare, visibilia quærimus et approbamus; invisibilia quoniam ignoramus, ignorata reprobamus.

Tales Christianos non fide viventes, sed quasi mortuos abhorret mater Ecclesia, et de eis jam

fere desperat, quæ adhuc gentiles et Judæos ut convertantur ad Dominum, patienter exspectat. Quia vero scriptum est : *Non respondeas stulto, ne similis ei esse videaris (Prov. xxvi, 4)*; præterimus istos, ne margaritas ponamus ante porcos; sed nostris pie quærentibus respondere compellimur. Loquatur igitur ille qui dixit : *Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (Matth. x, 19, 20)*. Aperiat Spiritus sanctus suorum corda fidelium, et obstruat ora perfidorum; descendat unctio cœlestis, audiatur verbum veritatis.

CAPUT VIII.

Est sane Ecclesia vera atque Catholica in unum collecta, caput et membra plena et perfecta : summa Trinitas Deus unus; Deus et homo Christus unus : unitas fidelium in uno Spiritu, una cum Deo per unum Jesum Christum Deum et Dominum nostrum. Hujus unitatis ineffabile mysterium, mirabile sacramentum, cum a nobis nequeat explicari, non tamen potest ignorari. Summa quidem Trinitas, Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, et tres personæ, sed unus ita Catholice pensatur, ut et Trinitas minime confundatur, et unitas indivisa sentiat. Trinitas in unitate permanet inconfusa; unitas in Trinitate semper est indivisa. Pater quippe solus Filii Pater est; Filius solius Patris Filius; et Spiritus sanctus nec solius Patris, nec solius Filii, sed amborum unus est. In hoc uno Spiritu essentialiter unus est Pater et Filius, unde idem Filius : *Ego et Pater unum sumus*. In hoc uno Spiritu manet Christus Deus et homo personaliter unus, temporaliter de Virgine natus.

In hoc uno Spiritu una est cum Deo unitas fidelium, unice collecto ex Judæis et gentibus, sociata sanctorum cœtibus angelorum per unum mediatorem Jesum Christum : hoc e multis collecta, e pluribus una, uni viro Jesu Christo, unice desponsata generat filios in uno Spiritu sancto. Eo namque Spiritu, quo natus est de virgine Jesus Christus, eo ipso in baptisate sacra singuli renascuntur facti filii Dei : *Quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. i, 14)*. De his in Spiritu sancto renatis filiis Dei Filius unigenitus ad Patrem ait : *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint; et : Ego charitatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego, in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum (Joan. xvii, 21-23)*. O unum singulare et summum, intra te sunt bona omnia, extra te nulla ! Unum omni studio quærendum, totis viribus tenendum, plena charitate diligendum, quisquis per gratiam scire te potuit, ipse quid sit Ecclesia Dei certissime novit.

Quicumque igitur hanc unitatem nescit, vel ab ea apostatando recessit, Ecclesiam fidelium, quæ una est, non habendo, bona omnia perdidit, peccato subditus, malis implicitus, miseriis cumulatus, nisi eum misericordia Dei respiciat, nisi eum mediator Dei

et hominum gratanter eruat, nisi eum Ecclesiæ unitas pie recolligat. Postmodum autem ubi sit Ecclesia Dei non contentiose quærent, quod equidem scire possunt, si caput Ecclesiæ, qui Deus est, pura fide præsentiant, qui est lumen fidelium : *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt (Joan. i, 12, 13)*. Facti sunt isti per gratiam filii Dei in ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino; in habitaculum Dei, in Spiritu sancto (*Eph. ii, 21, 22*). Ut autem plenius agnoscas, et agnitam quæras, audi veritatem super hoc ad Patrem ita loquentem : *Pater, quos dedisti mihi volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum (Joan. xvii, 24)*. O ineffabilis gratia, benedictio copiosa, beatitudo plenissima ! Hoc intuens Propheta Ecclesiam Dei taliter admonebat : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui : et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus (Psal. xlii, 11, 12)* : decorem tuum, non quem ab origine populi tui, a vetusta domo patris tui, sed quem apud Deum facta filia per gratiam invenisti quæ sacramentis dealbata, quæ septiformi Spiritu sancti lumine decorata, quæ pane vitæ satiata videre Deum deorum in Sion sine fine festinas. Ad hanc Apostolus intendebat, dicens : *Nostra conversatio in cœlis est (Philip. iii, 20)*, illuc usque filia regis jam fide pergit, spe conscendit, charitate quiescit.

Ecclesia igitur cum Deo in uno Spiritu sociatur, pennis virtutum universa transgreditur, aura charitatis elevata Patrem in Filio, Filium in Patre, Spiritum sanctum in utroque quiescendo diligit, diligendo quiescit. Quies ista ibi est, unde Filius ait : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum (Joan. xvii, 24)*. Ubi es tu, Fili Dei Patris, Verbum Dei, Deus Verbum apud Deum, vita omnium, lux hominum, Verbum caro factum, nostra redemptio, salus et beatitudo ? *Ego, inquit, in Patre, et Pater in me est (Joan. xiv, 11)*. Quod utique essentialiter est; unus enim amborum Spiritus cœternus et coessentialiter est. Testatur enim sacra Scriptura, quia, peractis omnibus in principio simul, requievit Deus in die non habente vespere et mane, in die septima benedicta et sanctificata, quia *requievit in ea ab omni opere suo quod patrarat (Gen. ii, 2)*. Operator iste mirificus nec labore fatigatus, nec requie relevatus, prout voluit omnia fecit, et ab omnibus quorum nullo eguit in se ipso quievit. Manet hic immotus, nullo sustentatus, nullo adjutus quiescens agit, agendo quiescit. Nihil debet alicui, sed omnia debent ei per quem sunt omnia, et subsistunt universa. Ad hanc Domini requiem festinat Ecclesia sanctorum, ut a tempestate malorum, a potestate tenebrarum, ad suum possit redire principium, et ibi requiescere, ubi Christus est in glo-

ria Dei Patris, in Sabbato requietionis, in æternitate beatitudinis.

CAPUT IX.

Postremo quærent nostri non cum litigio sicut hæretici, sed pio studio tanquam Catholici, quærent de Ecclesia Dei, quare ipsa sit. Sed hoc scire nemo potuit, nisi is qui intra unitatem Ecclesiæ Spiritum sanctum accepit, et intrare in sanctuarium Dei, Christo Jesu aperiente, promeruit et voluntatem ejus in mandatis agnovit. O quam magnus est iste, quam sublimis charitate, qui rerum origines et causas immutabiles apud Deum persistentes intueri prævalet! Qui æternum Dei consilium stabile sentit et immotum, quo de nihilo creata sunt simul omnia in exordio rerum sine intervallo temporis. Statim enim ex motu conditoris tempora cucurrerunt, et corporum partes, locorum spatia tenderunt. Non sunt itaque res aliquæ in principio post tempora seu loca conditæ; ex motu namque rerum tempora prædierunt, et ex spatio corporum loca divisa sunt. Deus autem prout voluit, et simul omnia condidit, et singula formavit.

Prodeunt igitur omnia fluntque singula pariter ex voluntate divina, ut effectus ex causa. Non est ergo quærendum quare, vel unde, aut quando Deus creavit mundum, ubi posuit creatum, qui pro voluntate sua de nihilo simul omnia edidit, de motu quorum profluunt tempora, et partes corporum spatia debere locorum, quinimo quærendum fuit, quis de omnibus creatis Creatorem suum scire potuit? Quis voluntatem ejus in mandatis tenuit? Quis ejus similitudinem in virtutibus conservavit?

Ad hæc invenis solos inter omnia conditos angelum in cælis, hominem in terris, rationali intelligentia præditos, qui unum verum, et summum Deum, et Dominum pro ratione quærent, pro intelligentia sciunt, pro similitudine singulariter amarent: homo enim conditus est ad imaginem et similitudinem Dei; angelus vero habuit in se signaculum similitudinis Dei, ut utraque tam natura rationali, quam similitudine Dei, quam unitate charitatis Domino Deo pariter obedirent, ipsum solum diligere, et in ipso beati permanerent. Agnoscat igitur angelus Deo conformatus, felix et beatus; agnoscat homo per gratiam reparatus quia charitas Dei supereminens et ineffabilis ad hoc ipsos ambos facere voluit, ut pro invicem geminata charitas in eis constituat Ecclesiam Dei, quæ Deum ex toto diligit, quæ seipsam in alterutrum diligendo mutua charitate ad Deum referat.

Ad hoc itaque facta est Ecclesia Dei, ut ipsa in Deo, et Deus in ea sit per unum Jesum Christum mediatorem nostrum, qui et angelum Deo confirmavit, et hominem Deo reconciliavit; ut ex utroque fieret Ecclesia Dei una, et singularis in unitate Spiritus sancti, in quo Deum sicuti est; facie au faciem plene et perfecte videbit. Istam divinæ cha-

ritatis magnificentiam Propheta intuens aiebat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te?* (Psal. xxx, 20). In tempore quidem est abscondita, in æternitate erit manifesta. De hoc abscondito audi Filium in Evangelio: *Confiteor tibi, Pater Domine cæli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te* (Matth. xi, 25, 26). Et Apostolus: *Nunc abscondita est vita nostra cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit, vita nostra, tunc et nos apparebimus. cum ipso in gloria* (Coloss. iii, 4). Igitur de Ecclesia Dei quid, et ubi, et quare ipsa sit, videmur potius non tacuisse, quam aliquid digne, sicut oportuit respondisse.

Tria ista ex Deo esse, in Deo manere, cum Deo in unitate persistere, si pie quæris, invenire poteris. Extra Deum nihil est eorum. In his tribus fidem, spem, charitatem pariter intueri. Ex Deo namque fides oritur; in Deo spes elevatur; cum Deo charitas operatur. In præsentis siquidem tempore frustra credis, si non speras. si non diligis. Frustra speras nisi credas et diligas; frustra diligis qui non speras, qui non credis. In hac temporali vita sic ista tria simul esse considera, ut eorum quid primum, quid secundum, quid tertium sit, temere non assumes, sed interminabilis auspicia Trinitatis in eisdem aspicias. Ex tribus istis colligatur textura mirabili, ille, de quo Salomon attestatur; quia *funiculis triplex difficile rumpitur* (Eccle. iv, 12). Funiculum tu complicas istum unum et trinodum; si eo levaris ad Deum, a Deo descendis ad proximum, a proximo et te cum ipso revehis ad Deum. Hæc est in Ecclesia Dei scala Jacob a terris erecta in cælum, qua angeli ascendunt et descendunt, et redeunt ad Deum scælæ desuper innixum. Hoc in visione Dei patriarcha Jacob vidit, et evigilans ait: *Terribilis est locus iste; hic domus Dei est, et porta cæli: vere Dominus est in loco isto* (Genes. xxviii, 17). Iste si quidem locus in quo Dominus est non sicut ubique, sed sicut in loco gratiæ, in quo pie quæritur, invenitur et amatur. Terribilis domus Dei, porta cæli esse dignoscitur; terribilis omnibus impiis, achismaticis, hæreticis. Domus Dei omnibus per sacramenta renatis, septiformi gratia sancti Spiritus perornatis, uno pane cælesti satiatis. Porta cæli omnibus cum Deo ambulatibus, sicut Henoch, et sublevatis cum Elia in curru igneo, et ascendentibus in cælum cum Domino Deo Jesu Christo. Cum Deo fides pergit, spes procedit, charitas ascendit: cum Deo fides superat, spes triumphat, charitas regnat: charitas autem in fine temporum cum Deo tenebit imperium singulariter unum: in eo et fidei meritum, et spei bravium, et cæterarum debita virtutum completa charitas complebit in unum, cujus participatio ejus in idipsum, qui est unum, et omne bonum omnium, per infinita sæcula sæculorum. Amen.